tur, ut qui cadebat à ſyllaba, cadebat à cauſa, ne populus ad libitum ageret, (*a*) 3. jam *hodie* ſublatæ ſint *utroque jure*; (*b*) 4. non tamen cenſetur ſublata actio, prout ſumitur pro *jure agendi*; 5. imò uſque adeo neceſſaria eſt, ut ſine ea nemo experiri poſsit. (*c*)

6. Quinimo, abſque actione agens *officio Judicis* ſine partis petitione à judicio repellitur, ſecundum Gloſſam: (*d*) quæ etiam *aptè* in libello componi debet; 7. non tamen exprimendo nomen actionis, quia hoc neceſſarium non eſt, ſed ſolummodo narrando pure, & ſimpliciter factum, ex quo reſultet nomen actionis: (*e*) juxta quam reſolutionem intelligi debet textus in

Leg. *Omnes*, §. fin. ibi: *Propoſita actione*, Cod. de *Epiſc.* & *Cleric.* &
In leg. fin. Cod. de *Interdict.* &
In leg. *Edita*, Cod. de *Edendo*, &
In cap. *Experientiæ* 11. quæſt. 1. &
In cap. *Octava* 12. quæſt. 2. &
In cap. *Examinata*, de *Judic.* &
In cap. fin. de *Libelli oblation.* &
In cap. 1. de *Mutuis petitio.*

Quibus juribus probari videbatur, nomen actionis exprimendum eſſe; debent enim jura illa intelligi de petitione, in qua narratur factum *aptè*; ita ut ex eo nomen actionis reſultet: 8. alioquin enim, ſi factum ineptè in libello narraretur, ita quod ex eo nulla actio colligi poſſet, ſententia lata ſuper tali libello inepto nulla eſſet, ſecundum Gloſſam: (*f*) 9. cujus Gloſſæ opinio etiam *hodie* procedit de Jure Regio, ſi ineptitudo libelli à parte opponeretur; ſecus tamen, ſi oppoſita non eſſet, & de veritate cauſæ in proceſſu conſtaret, juxta text. in leg. 10. tit. 17. lib. 4. Recop. Nec huic veræ reſolutioni obſtat lex 1. ibi: *nec tenere intentionem*, ff. *Si menſ. falſum mod. dixer.* nam, omiſſo intellectu Bartoli, (*g*) dici poteſt, quod ideo ibi libellus viciatur, quia *expreſſe* ibi prohibitum fuit, actionem intentari in honorem Agrimenſoris, ut colligitur ex verbis illius text. ibi: *beneficii loco*, & ibi: *honorarium*: ob idque operæ pretium duxi actiones, & earum libellos in iſto Tractatu præſcribere, juxta praxim, quæ *hodie* in Tribunalibus frequentatur: ad cujus rei explicationem breviter nonnulla erunt præmittenda.

10. Primò, quod actio habet plures ſignificationes, ſecundum Albericum; (*h*) 11. in noſtra tamen materia actio ſignificat *jus perſequendi in judicio, quod nobis debetur.* (*i*)

12. Secundo, quod actio alia eſt *nativa*, & alia *dativa*, ſecundum Gloſſam; (*j*) 13. Actio Nativa dicitur, *quæ habet perſiſtentem materiam, ex qua oriatur*, ut putà, contractum, vel obligationem: 14. Dativa verò dicitur, *quæ hac materia caret, ſed ex æquitate Prætoris datur.*

15. At vero *in puncto juris* verior opinio eſt, omnes actiones tantum nativas eſſe, cum ſine perſiſtente materia nulla actio reperiatur: (*k*) nec effectus illius communis differentiæ inter nativam, & dativam, ſcilicet, quod *dativa* ad hæredes non tranſit, verus eſt, ſecundum Covarruviam. (*l*)

16. Tertio, quod actiones aliæ ſunt *directæ*, & aliæ *utiles*: (*m*) Actiones Directæ ſunt, 17. *quæ antiquitus ex contractibus nominatis*, ut putà, exemptione, & locatione, & ſimilibus, *deſcriptæ erant* in albo Prætoris: (*n*) poſtea tamen, quia multo plura eſſent negotia, quàm actiones, (*o*) & plures eſſent con-

(*a*) Juxta text. in leg. 2. §. *Deinde ex his*, ff. de *Orig. jur.*

(*b*) Per tit. Cod. de *Form. ſublat.* & per text. in cap. *Dilecti*, de *Judic.* ſic intelligendum.

(*c*) Juxta text. in leg. *Si pupilli*, §. *Videamus*, ff. de *Neg. geſt.* & in cap. *Conſtitutis* 47. junct. gloſ. 1. de *Elect.*

(*d*) In leg. *Ubi pactum*, Cod. de *Tranſact.* receptam communiter ex Tiraq. in leg. *Si unquam*, §. *Revertatur*, n. 281. Cod. de *Revoc. donat.*

(*e*) Juxta text. in dict. cap. *Dilecti*, de *Judic.* & gloſ. in Auth. de *Exhib. reis*, §. 1. verb. *Libellum*, quam ſequitur Bartol. n. 18. & Oroſc. n. 32. in leg. 1. ff. de *Edend.* & hanc teſtantur communem opinionem Panorm. Dec. & Alciat. in dict. cap. *Dilecti*, & Jaſ. in §. *Omnium*, n. 175. Inſtit. de *Action.* explicat Marant. de Ordin. judicior. 6. part. memb. 5. n. 5.

(*f*) In princip. Inſtit. de *Oblig.* quam probat Baldus in leg. *Actori*, & in leg. *In bona fide*, Cod. de *Rebus cred.*

(*g*) Dict. leg. 1. n. 19. ff. de *Edendo*, & Felin. cap. *Examinata*, de *Judic.* & Ripæ, leg. *Edita*, Cod. de *Edendo.*

(*h*) In ſuo Diction. verb. *Actio.* Alciat. in leg. *Edita*, Cod. de *Edend.* & Benincaſium in princip. Inſt. de *Action.* à n. 140. & Ambroſ. Calep. in ſuo Diction. verb. *Ago*, & verb. *Actio.*

(*i*) Juxta text. in princ. Inſtit. de *Action.* & in leg. *Nihil aliud*, ff. de *Action. & obligat.* & notant Bart. Bald. Angel. & omnes communiter ex Zaſio in princip. col. 1. Inſtit. de *Action.* & ibi Corraſius, n. 3. & Benincaſius, n. 272. & 220.

(*j*) 1. in leg. *Ex legato nominis*, Cod. de *Legat.* quam teſtatur communit. receptam Jaſſ. in §. *Rurſus*, n. 78. & 79. Inſtit. de *Action.* & Oroſc. in leg. fin. ff. de *Edend.* & D. Anton. de Meneſes à Padilla in leg. *Naturalis*, §. *At cum do*, ff. de *Præſcript. verb.* & Bonincaſ. in Præfat. ad tit. Inſtit. de *Action.*

(*k*) Secundum Dec. & Alciat. in leg. *Cum mota*, Cod. de *Tranſact.* Forcat. in Dialog. 47. Duar. in princ. Inſtit. de *Action.* verb. *Actionem*, & ibi Hotomanum, n. 14.

(*l*) In reg. *Poſſeſſor*, 3. part. §. 1. n. 4. & Manuel. Coſtam in Tract. de Patruo, & nepote, fol. 8.

(*m*) Juxta text. in leg. *Actionis*, ff. de *Action. & oblig.* & in leg. *Actio*, ff. de *Negot. geſt.* & in leg. *Curatoris*, Cod. eod. tit. & gloſ. 1. in dict. leg. *Ex legato.*

(*n*) Juxta text. in leg. 2. §. *Deinde*, ff. de *Orig. jur.* & in leg. 1. Cod. de *Interd.*

(*o*) Ut in leg. 4. ff. de *Præſcript. verb.*

tractus, qui non haberent certam formam actionum in albo Prætoris deſcriptam, 18. *Prætor, æquitate, & publica utilitate ſuadente, actiones commmodas dedit*, quæ utiles appellantur; 19. regulariter tamen directæ, & utiles eandem naturam habent: (*p*) & differentias inter utiles, & directas congerit Bartolus. (*q*)

20. Quarto, quod Juſtinianus in tit. de *Action.* plures diviſiones actionum conſtituit: *primo* enim dixit, actiones alias eſſe *reales*, & alias *perſonales*: (*r*) dixit etiam, alias eſſe *mixtas*, reales, & perſonales ſimul: (*ſ*) *ſecundo* dixit, actiones quaſdam eſſe *civiles*, & quaſdam *prætorias*: (*t*) ubi prætorias ſubdiſtinxit in *reales*, & *perſonales*: de realibus egit in §. *Namque ſi cui*, uſque ad §. *In perſonam*, ejuſd. tit. & de perſonalibus prætoriis egit à dict. §. *In perſonam*: in quo text. juncto §. *Pœnales*, iterum prætorias perſonales ſubdiſtinxit in perſonales prætorias *rei perſequutorias*: (*u*) & in perſonales prætorias *pœnæ perſequutorias*: (*x*) *tertio* dixit, actiones alias eſſe *præjudiciales*, & alias *non præjudiciales*: (*y*) *quarto* dixit, actiones quaſdam eſſe *rei perſequutorias tantum*, quaſdam *perſequutorias pœnæ tantum*, quaſdam *perſequutorias rei, & pœnæ ſimul*: (*z*) *quinto* dixit, actiones alias *in ſimplum*, alias *in duplum*, alias *in triplum*, & alias *in quadruplum* dari: (*a*) *ſexto* dixit, actiones alias *bonæ fidei* eſſe, & alias *ſtricti juris*: (*b*) *ſeptimo* dixit, actiones alias *arbitrarias* eſſe, & alias *non arbitrarias*: (*c*) *octavo* dixit, actiones alias *privilegiatas* eſſe: (*d*) quarum omnium naturam, & formulam, ſequens ordinem Juſtiniani, explicabo in ſequentibus reſolutionibus.

EX CAPITE PRIMO.

SUMMARIA.

1 *PRimum caput de aliquibus actionibus, tàm perſonalibus, realibus, quàm mixtis jure civili introductis.*

2 *Perſonalis actio eſt illa, quæ alicujus perſonam, vel ejus hæredis non poteſt egredi.*

3 *Actio realis eſt, quæ continet jus in ipſa re, eamque, ſicut lepra leproſum, comitatur.*

4 *Per perſonalem actionem perſonam tantum obligatam perſequimur; at vero per realem quemcumque rei poſſeſſorem.*

5 *Ut perſonalis actio oriatur, neceſſarium eſt, contractum, vel quaſi contractum, maleficium, vel quaſi-maleficium adeſſe.*

6 *Realis actio tantum naſcitur ex jure, quod in re habemus.*

7 *Per perſonalem actionem intendit quis, dari ſibi oportere, quod dominii translationem ſignificat.*

8 *Per realem actionem non novum jus, ſed ut id, quod eſt, declaretur, actor poſtulat.*

9 *Sicut perſonalis actio condictio, ita & realis vendicatio nuncupatur.*

10 *Mixtæ actiones eæ dicuntur, quæ ſimul & perſonales, & reales ſunt.*

11 *Speciem de per ſe non conſtituunt actiones mixtæ, ſed qualitate tantum differunt.*

12 *Civiles actiones ſunt illæ, quæ civili jure: prætoriæ, quæ à Prætore inductæ fuerunt.*

13 *Prætores poſſunt jura, & actiones dare.*

14 *Sicut civiles actiones perpetuò, ita prætoriæ per annum durare ſolent.*

15 *Quando honoraria actio eſt rei perſequutoria, perpetuò durat.*

CAPUT PRIMUM.

DE NONNULLIS ACTIONIBUS perſonalibus, realibus, & mixtis à Jure Civili deſcendentibus.

1. DIximus in initio hujus Tractatus, actiones eſſe *perſonales* nonnullas; alias *reales*, & alias *mixtas*, & alias inductas eſſe à *Jure Civili*, & alias à *Jure Prætorio* cum Juſtiniano: (*a*) 2. Perſonalis actio eſt, *quando jus invenitur in ipſa obligatione, & comitatur perſonam obligati, vel ejus hæredis, qui ſuam perſonam repræſentat, nec ultra progreditur.* 3. Realis verò actio eſt, *quando jus reperitur in ipſa re abſque obligatione, & rem ipſam comi-*

(*p*) Ut probatur in leg. *Actio*, ff. de *Negot. geſt.* & notat Jaſ. in leg. *Cum fundus*, §. *Servum*, ff. *Si cert. petat.* n. 14. Duar. lib. 1. Diſp. in leg. 2. & in leg. *Juris gentium*, §. *Et ideo*, ff. de *Pact.* Balduin. in §. fin. verb. *Utilis*, Inſt. *Ad legem Aquil.* & Connanus lib. 7. Commentar. cap. 15. num. 10.

(*q*) In leg. 1. ff. de *Action. & oblig.* & Jaſ. in dict. leg. *Cum fundus*, §. *Servum*, n. 15. & Car. Ruin. in leg. 1. Cod. *Qui admit.* n. 482.

(*r*) In §. *Omnium*, Inſtit. de *Action.*

(*ſ*) In §. *Quædam*, eod. tit.

(*t*) In §. *Sed iſtæ*, eod. tit.

(*u*) De quibus egit in §. de *Conſtituta*, & in §. *Actiones*, & in §. *Item ſi quis*, eod. tit.

(*x*) De quibus egit in §. *Pœnales.*

(*y*) In §. *Præjudiciales*, eod. tit.

(*z*) In §. *Sequens illa diviſio*, de quibus egit à §. *Rei perſequendæ*, uſque ad §. *Quædam.*

(*a*) In §. *Omnes*, eod. tit. quo in loco de omnibus egit, uſque ad §. *Actionum.*

(*b*) In §. *Actionum*, eod. tit. de quibus ibi egit.

(*c*) In §. *Præterea quaſdam*, de quibus ibi egit, uſque ad §. *Sunt præterea.*

(*d*) In §. *Sunt præterea*, uſque ad finem tit.

(*a*) In §. *Omnium*, juncto §. *Quædam*, Inſtit. de *Action.*

tatur, & datur contra quemcumque rei poſſeſſorem. (b)

4. Ex quo conſtat, perſonales actiones differre à realibus: primò, quia per perſonales conſequimur jus contra ſolam perſonam, quæ contraxit, vel deliquit, vel contra ejus hæredem; (c) per reales verò perſequimur rem à quocumque poſſeſſore: (d) & ita *natura ipſa* differunt prædictæ actiones.

5. Secundo differunt *in origine*, quia perſonalis oritur ex contractu, vel quaſi-contractu, ex maleficio, vel quaſi-maleficio; (e) 6. realis autem oritur ex re, vel jure, quod in re habemus. (f)

7. Tertio differunt *in effectu*, quia per perſonalem actor concludit, *quod reus condemnetur ad dandam ſibi rem*, vel *ad dominium transferendum*, aut *ad aliquid faciendum*; (g) 8. at verò per realem actor petit, *quod declaretur dominus illius rei.* (h)

9. Quarto differunt *in nomine*, quia perſonales *condictiones* appellantur; reales verò *vindicationes*; (i) 10. mixtæ autem actiones ſunt, quæ nec mere reales, nec perſonales ſunt, ſed ſimul reales, & perſonales, ut putà actio finium regundorum, communi dividundo, familiæ erciſcundæ: (j) 11. quæ tamen actiones mixtæ non conſtituunt ſpeciem de per ſe; ſed differunt qualitate. (k)

12. Rurſus, actiones inductæ à jure civili dicuntur *civiles, quia ex legibus civilibus deſcendunt*; prætoriæ vero, *quæ à Prætore ſunt comparatæ*: 13. tanta enim fuit Prætoris authoritas, ut jura, & actiones dare poſſet: (l) 14. & actiones civiles differunt à Prætoriis, quia civiles ſunt perpetuæ; prætoriæ verò durant per annum: (m) 15. quod verum eſt, quando prætoriæ ſunt pœnales; cæterum quando ſunt rei perſecutoriæ, perpetuò durant. (n) Et an actiones deſcendentes ab Statutis, & Conſtitutionibus conditis à Ducibus, Marchionibus, Epiſcopis, aut Correctoribus ſint perpetuæ, vel annales, reſolvunt Jaſſon, (o) Avileſius, (p) & Avendanius: (q) & de omnibus ſupradictis actionibus perſonalibus, realibus, & mixtis à jure civili, & à prætorio inductis, ſigillatim ſuo loco à nobis erit dicendum, prius à perſonali incipiendo in genere, &c.

EX §. PRIMO.

SUMMARIA.

1 *Omnes actiones perſonales dicuntur Condictiones.*

2 *Olim, qui in perſonam agebat, ſuo adverſario prius denuntiabat.*

3 *In perſonalibus actionibus inſtituendis denuntiatio non eſt hodie neceſſaria.*

4 *Condictionis appellatione omnis actio perſonalis continetur.*

5 *Certi condictio generalis eſt, competitque ex omni cauſa, qua quid certum petitur.*

6 *Condictio trahitur ad eas etiam cauſas, quibus non certum exigitur.*

7 *Perſonalis actio ad rem propriam fere nunquam datur.*

8 *Qui ſemel eſt dominus, amplius dominus effici non poteſt.*

9 *Ad dandum competit actio perſonalis.*

10 *Verbum* dare, *translationem dominii ſignificat.*

11 *Contra furem actio perſonalis competere poteſt.*

12 *Omnis actio degenerat contra furem.*

13 *Dominium in furem translatum eſſe, fingitur.*

14 *Perſonalis actio ex contractu, vel quaſi, aut ex maleficio, vel quaſi-maleficio naſcitur.*

15 *Libellus in actione perſonali ſermone Hiſpano conceptus.*

§.PRI-

(b) Ita colligitur ex dict. §. *Omnium*, in verſ. *Namque*, juncto verſ. *Aut cum eo*, & ex leg. *Actionum genera*, in princ. ff. de *Action. & oblig.* & tradit Jaſ. n. 2. & Gomec. n. 13. in dict. §. *Omnium.*

(c) Juxta text. in dict. §. *Omnium*, & in dict. leg. *Actionum.*

(d) Ut probatur in dict. juribus.

(e) Ut probatur in dict. §. *Omnium* in illis verbis, ibi: *Vel aliis quibuſdam modis*, ſecundùm Jaſ. ibi, n. 33. & Cujac.

(f) Ut probatur in dict. leg. *Actionum* in princ. & in dict. §. *Omnium*, verſ. *Namque*, & verſ. *Aut cum eo.*

(g) Ut probatur in dict. §. *Omnium*, verſ. *Namque*, & in §. *Appellamus*, Inſtit. de *Action.*

(h) Ut probatur in leg. *Pomponius*, §. *Sed & is*, ff. de *Procurat.* & in leg. *Ex diverſo*, ff. de *Rei vendic.*

(i) Ut in dict. §. *Appellamus*, & in dict. leg. *Actionum* in princ.

(j) Ut probatur in §. *Quadam*, Inſtit. de *Action.* & in leg. *Actionis* 36. verſ. *Mixtæ*, ff. de *Action. & obligat.*

(k) Secundum Jaſ. in dict. §. *Omnium*, n. 27. & in leg. 1. n. 2. ff. de *Verb. oblig.* Gomec. in dict. §. *Quadam*. Mainerium in lib. 2. Actionum, n. 4. & hanc teſtatur communem opinionem Jaſ. in leg. *Si arrogator*, n. 45. ff. de *Adoption.* quamvis in ſpecie differre, dicat gloſ. in dict. §. *Omnium*, verb. *Summa*, & alii communiter, quos refert Jaſ. ibi, n. 26. & Alex. in leg. *In actionibus*, ff. de *In litem jurand.*

(l) Juxta text. in leg. 2. §. *Eo tempore*, ff. de *Origin. jur.* & in §. *Prætorum*, Inſtit. de *Jur. natur.*

(m) Juxta text. in leg. *In honorariis*, ff. de *Action. & obligat.* & in princ. Inſtit. de *Perp. & temp. action.*

(n) Ut probatur in dict. princ. de *Perp. & tempor. action.*

(o) In §. *Sed iſtæ* à n. 27. Inſtit. de *Action.*

(p) In cap. Prætorum, cap. 17.

(q) De Mandatis Principum, cap. 5. n. 9. & 10. & in cap. 6. n. 4.

§. PRIMUS.

DE PERSONALI ACTIONE.

1. PErſonalis actio appellatur *condictio* à verbo antiquo, *condicere*, quod ſignificabat denuntiare: 2. & hinc *condictiones* omnes actiones perſonales nuncupantur, ex eo quod olim, qui in perſonam ageret, denuntiare ſuo adverſario ſoleret, ut certa die judicio adeſſet: nam poſtquam extra judicium familiariter debitorem commonuerat, ut ei ſolveret, adverſario non ſatisfaciente, dicebat eidem, & denuntiabat diem, qua in judicio ſiſtendum eſſet: & à tali prædictione, & denuntiatione diei actiones in perſonam appellatæ fuerunt *condictiones*: quod nomen adhuc retinent; 3. licèt *hodie* talis denuntiatio neceſſaria non ſit: ac ideo *improprie*, & *abuſive* actiones perſonales appellantur *condictiones*, quia ſolummodo retinent veſtigium nominis abſque effectu. (a)

4. Qua in re obſervandum erit, quod licèt appellatione *condictionis* omnis actio perſonalis contineatur, (b) 5. cum ex omni cauſa, contractuvè, quo certum quid petitur, competat *certi* condictio; (c) 6. tamen etiam trahitur ad eas actiones perſonales, quæ certum nomen non habent: & dicitur *condictio incerti*, ut putà condictio ob cauſam, indebiti, ſine cauſa, ex lege, & ſimiles. (d)

7. Ex qua reſolutione colligitur vis, & effectus actionis perſonalis, ſcilicet, quod per eam nemo poteſt rem propriam petere, juxta text. in §. *Sic itaque diſcretis*, Inſtit. de *Action.* ibi: *ſi apparet dare oportere*: quod exponi debet, id eſt, *ſi agat actione perſonali.* (e) Et ita ibi conſtituitur Regula, nempe, quod nemo poteſt rem ſuam ab alio condicere, id eſt, *nemo poteſt actione perſonali rem propriam petere*, (f) 8. Et ratio prædictæ regulæ eſt, quia, quod proprium alicujus eſt, amplius illius fieri non poteſt. (g) 9. Unde cum actio perſonalis concludat ad dandum, vel ad faciendum, (h) 10. & verbum *dare*, importet translationem dominii, (i) merito ergo res propria actione perſonali peti non poteſt.

11. Quæ tamen regula fallit in fure, quia in odium furis introductum eſt, ut quis rem propriam à fure condicere poſsit, juxta text. in dict. §. *Sic itaque*, verb. *Planè*, & in leg. fin. ff. *Quemadm. uſufruct. caveat*: 12. ubi Juriſconſultus inquit, quod omnis condictio degenerat contra furem: & ita condictio furtiva, quæ eſt actio perſonalis, rei tamen perſequutoria, competit domino, qua repetit rem propriam furto ſubtractam, vel ejus æſtimationem: quod *ſpecialiter* in odium furis, contra naturam actionis perſonalis, per condictionem furtivam agitur ad dandum: 13. fingitur enim, dominium traslatum eſſe in furem, ut actioni perſonali locus ſit, ut pluribus actionibus teneri, convenirique poſsit pro re furtiva. (j)

14. Rurſus, perſonalis actio deſcendit ex contractu, vel ex maleficio, (k) deſcendit etiam ex quaſi-contractu, vel quaſi-maleficio, (l) & ita, quando aliquis alicui eſt obligatus ad aliquid dandum, vel faciendum ex contractu, vel ex quaſi-contractu, vel ex maleficio, vel ex quaſi-maleficio, tenetur actione perſonali, & per eam conveniendus erit ab actore. Et libellus concipiendus erit forma ſequenti.

LIBELLUS IN ACTIONE PERSONALI.

Iluſtre Señor.

15. „ Fulano, como mas haya lugar de de-
„ recho, parezco ante Vmd. y me querello, y
„ pongo demanda contra Fulano; y contan-
„ do el caſo de ella digo: que aſsi es, que el
„ dicho Fulano y yo fuimos concertados, en
„ que yo fueſſe à la Villa de Madrid à llevar
„ cierto proceſſo, y otros recaudos, y que por
„ el trabajo èl me daria, y pagaria diez du-
„ ca-

(a) Juxta text. in §. *Appellamus*, Inſtit. de *Action.* & reſolvunt ibi Hotom. n. 17. Miſing. n. 2. Joa. Corraſius, n. 5. & Briſonius, lib. 3. de Verb. ſignific. verb. *Condicere.*

(b) Juxta text. in leg. *Actionum*, in princ. 25. ff. de *Action. & oblig.*

(c) Ut in leg. *Certi conditio*, ff. *Si cert. petat.*

(d) Secundum Briſon. in dict. leg. 3. verb. *Condictio*, & Corraſ. in dict. §. *Appellamus*, n. 7.

(e) Secundum Fabrum, & Angel. ibi receptos à Miſing. ibid. n. 2. quamvis aliter explicet Dynus receptus ab Hotom. & Corraſ. ibi: & quidquid aliter exponat ibid. Jaſ. n. 15.

(f) Quæ regul. etiam probatur in leg. fin. ff. *Uſufruct. quemadm. caveat.*

(g) Ut probatur in dict. §. *Sic itaque*, ad quod text. ille quotidie allegatur ex Jaſ. ibi, n. 3. probatur etiam in leg. 3. §. *Ex pluribus*, ff. de *Acquir. poſſeſ.* & in leg. *Non, ut ex pluribus*, ff. de *Reg. jur.* & in leg. *Proprias*, Cod. de *Legat.*

(h) Ut probat text. in dict. §. *Sic itaque*, ibi: *Dare oportere*, & in §. *Omnium*, in verſ. *Namque*, ibi: *Dare, aut facere*, & in dict. §. *Appellamus*, ibi: *Dare, aut facere.*

(i) Ut probat text. in dict. §. *Sic itaque*, & in leg. *Ubi autem non apparet*, §. fin. ff. de *Verb. oblig.* & in leg. *Si ita diſtrahatur* in fin. ff. de *Contrah. empt.*

(j) Juxta text. in dict. §. *Sic itaque*, verſ. *Planè*, quem ita ibi intelligunt Faber, Angel. Jaſ. n. 34. & Platea, n. 3. & Corraſ. n. 4.

(k) Juxta text. in dict. §. *Omnium*, & in leg. *Actionum*, ff. de *Action. & obligat.*

(l) Ut probatur in dict. §. *Omnium*, ibi: *Aliis quibuſdam modis*, ſecundum Jaſ. ibi, n. 33.

„ cados: lo qual yo hice, y cumplì de mi par-
„ te, y le traxe certificacion de la entrega de
„ los dichos recados, y por ello eſtà obligado
„ à me dàr, y pagar los dichos diez ducados,
„ en que fuimos concertados;y aunque por mì
„ ha ſido requerido muchas, y diverſas veces,
„ que me pague los dichos diez ducados, no lo
„ ha querido, ni quiere hacer, ſin contienda
„ de juicio: por que pido à Vmd. que habi-
„ da mi relacion por verdadera, en la parte
„ que baſte, para el vencimiento de eſta cau-
„ ſa, de lo ſobredicho me haga entero cumpli-
„ miento de juſticia: y por ſu ſentencia, que
„ en tal caſo lugar haya, condéne al dicho
„ Fulano, à que me dè, y pàgue los dichos diez
„ ducados: y aſsi condenado à ello, le com-
„ pela, y aprémie por todo rigor de derecho:
„ ſobre que pido cumplimiento de juſticia, y
„ las coſtas protéſto, y el oficio de Vmd. im-
„ plóro: y júro à Dios, y à eſta ✠ que eſta de-
„ manda no pongo de malicia, &c.

Singulæ clauſulæ generales hujus libelli explicantur ſupra, (*m*) quæ omnibus libellis, & formulis actionum conducunt: ac ideò earum expoſitio in iſto Tract. repetenda non eſt.

EX §. SECUNDO.

SUMMARIA.

1 *SOli domino competit actio furtiva contra furem.*

2 *Criminaliter poteſt fur accuſari.*

3 *Quatuor actionibus tenetur reus civiliter conventus.*

4 *Per condictionem furtivam ipſa res ſubtracta petitur.*

5 *Condictio furtiva domino tantum, actio vero furti ei, cujus intereſt, competere poteſt.*

6 *Melius eſt condictione furtiva, quam rei vendicatione, rem exigere.*

7 *Rei vendicatio contra poſſeſſorem tantum competit.*

8 *Condictio furtiva competit contra furem, & ejus hæredem, etiam ſi poſsidere deſierint.*

9 *Etiam ſi res apud furem ſine culpa pereat, competit adverſus ipſum condictio.*

10 *Fur ſemper in mora legali eſſe dicitur.*

11 *Etiam ſi res furtiva pereat, condemandus eſt fur, & tanti res æſtimatur, quanti unquam plurimi fuit à die commiſsi furti.*

12 *In condictione furtiva veniunt fructus, tàm percepti, quàm percipiendi.*

13 *Si fur offerat rem furtivam, & poſteà apud ipſum pereat, condictione liberatur.*

14 *Re apud furem perempta, poteſt actor agere ad ipſam rem, vel ad ejus æſtimationem.*

15 *Libellus in actione furtiva Hiſpano ſermone confectus.*

§. SECUNDUS.

DE ACTIONE FURTIVA.

QUIA in §. præcedenti diximus, actionem *furtivam* perſonalem eſſe, rei tamen perſecutoriam, & de ea mentionem fecimus, ideò libuit eam hic inſerere. 1. Competit enim iſta actio furtiva domino rei, ad repetendam rem propriam furto ſubtractam, vel ejus æſtimationem: & hoc ſpecialiter inductum eſt contra naturam actionis perſonalis *in odium furis*, ut pluribus actionibus teneatur: 2. nam fur, præter criminalem accuſationem, qua impeti poteſt, (*a*) 3. aliis quatuor actionibus *civiliter* conveniri poteſt, ſcilicet, actione *furti*, quæ datur ad pœnam *in duplum*, ſi furtum non ſit manifeſtum, & *in quadruplum*, ſi ſit manifeſtum: (*b*) item *rei vendicatione*, & actione *ad exhibendum*: (*c*) de quibus actionibus ſuo loco agemus.

4. Item, & conveniri poteſt hac actione furtiva, de qua in præſenti agimus, & in tot. tit. ff. de *Condict. furt. per quam res ipſa furto ſublata petitur*; (*d*) 5. differunt tamen inter ſe, quia iſta condictio *furtiva* datur domino rei tantum, (*e*) actio verò *furti* datur non dominis, ſi ſua interſit. (*f*)

6. Inſuper commodius eſt domino agere condictione furtiva, quam rei vendicatione. (*g*) Rurſus, rei vendicatio datur ſolummodò adverſus poſſeſſorem; (*h*) 8. condictio verò furtiva datur adverſus furem, & ejus hæredem, tametſi rem ſurreptam non poſsideant. (*i*)

9. Præterea iſta condictio competit, etiam ſi res furtiva caſu, & ſine culpa furis pereat, ad

(*m*) In 1. Part. 1. Tom. in 5. Temp. de *Libelli oblatione.*
(*a*) Juxta text. in leg. fin. ff. de *Furtis.*
(*b*) Juxta text. in dict. §. *Sic itaque*, verſ. *Planè*, & in §. *Ex maleficiis*, Inſtit. de *Action.* & in §. ult. Inſtit. de *Oblig. quæ ex delic.*
(*c*) Juxta text. in leg. *Si pro fure*, §. 1. ff. de *Cond. furt.*
(*d*) Ut in dict. §. *Sic itaque*, §. *Planè*, & in leg. 1. ff. de *Condict. furt.*
(*e*) Ut in leg. fin. ff. *Uſufruct. quemadm. caveat.* & in leg. 1. ff. de *Condict. furt.*
(*f*) Ut in leg. *Manifeſtiſsimi*, §. *Sed cum*, Cod. de *furt.* & in leg. *Is cujus*, & leg. *Itaque*, ff. eod.
(*g*) Ut in leg. *In rem*, ff. de *Rei vend.*
(*h*) Ut in leg. *Actionum*, ff. de *Action. & oblig.* & in §. fin. Inſtit. de *Oblig. quæ ex delict.*
(*i*) Ut in leg. *Si pro fure*, §. ult. ff. de *Condict. furt.*

ad æſtimationem, (*j*) 10. quia fur ſemper eſt in mora, (*k*) 11. & tunc res æſtimatur tanti, quanti plurimi unquam fuit à die commiſsi furti, 12. & veniunt fructus percepti, & percipiendi: (*l*) 13. niſi fur eam obtulerit, & deinde perierit, quia tunc ceſſat condictio furtiva. (*m*) 14. Adverte tamen, quod, re perempta, in electione actoris eſt agere ad ipſam rem, tanquam peremptam, vel ad ejus æſtimationem, ſecundum Bartolum. (*n*) Et libellus in hac actione furtiva concipi poterit forma ſequenti.

LIBELLUS IN ACTIONE FURTIVA.

Iluſtre Señor.

15. „ Fulano, parezco ante Vmd. y me
„ querello, y pongo demanda contra Fulano,
„ y digo: que aſsi es, que en un dia de eſte
„ preſente mes de Mayo, que ſe contaron
„ ocho dias de èl, de eſte preſente año de 1583.
„ el dicho adverſo entrò en mi caſa con ani-
„ mo de hurtar lo que hallaſſe, y contra mi
„ voluntad tomò, y llevò una ropa mia nueva
„ de raſo negro, que valdrìa treinta ducados,
„ y la traſportò, adonde èl quiſo: la qual es
„ obligado à me dàr, y bolver, por ſer co-
„ mo es mia, y me pertenecer *jure dominii, vel*
„ *quaſi*: y pueſto, que à ello es obligado, y
„ por mì ha ſido requerido, no lo ha querido,
„ ni quiere hacer: por que pido à Vmd. del
„ ſobredicho me haga entero cumplimiento
„ de juſticia: y ſi otro mayor pedimento es
„ neceſſario, habido aqui por expreſſo, y mi
„ relacion por verdadera, en quanto baſte, por
„ ſu ſentencia, que en tal caſo lugar haya,
„ condéne al dicho Fulano, à que me dè, buel-
„ va, y reſtituya la dicha mi ropa, que me
„ llevò, ò treinta ducados por ella, que valia
„ à ſu juſta, y comun eſtimacion, &c. y para
„ ello pido cumplimiento de juſticia, y el ofi-
„ cio de Vmd. implóro, y las coſtas protéſto:
„ y júro à Dios, y à eſta ✠ que eſto no pido
„ de malicia, &c.

EX §. TERTIO.

SUMMARIA.

1 R*Eales actiones* reivendicationes *dicuntur, quæ à verbo* vendicare *appellantur, & denominantur.*

2 *Vendicare nihil aliud eſt, quàm propriam rem ab alio poſſeſſam in poteſtatem noſtram reducere.*

3 *Realis actio appellatur, quando jus ſine aliqua perſonæ obligatione in ipſa re reperitur: requiſita, ut rei vendicatio competat, traduntur.*

4 *Rei vendicatio tantum competit domino verò, vel quaſi.*

5 *Sufficit, ut rei vendicatio competat, habere quem dominium revocabile.*

6 *Poſſeſſor majoratus poteſt rei vendicatione experiri, ſi ab alicujus rei poſſeſsione ceciderit.*

7 *Dominium utile habenti competere poteſt rei vendicatio.*

8 *Qui ſimpliciter in rei vendicationis libello dominium rei probaturum ſe dixerit, etiam ſi utile tantum probet, in cauſa obtinebit. Dominium duplex eſt,* directum, *&* utile, *ſecundum communem Doctorum contra Paul. Caſt. Igneum, & Valaſcum.*

9 *Emphyteota poteſt agere rei vendicatione.*

10 *Locator ad longum tempus poteſt rei vendicationem intendere.*

11 *Sufficit, quem eſſe dominum tempore ſententiæ, ut in rei vendicatione obtineat, licet tempore, quo intentavit rei vendicationem, non fuerit dominus.*

12 *In libello debet actor exprimere, adverſarium rem poſsidere, aut ejus rei nudum eſſe detentatorum.*

13 *Nudus detentator, ſi poſſeſſorem in judicio nominet, à rei vendicatione liberatur.*

14 *Verus poſſeſſor ibi debet cauſam proſequi, ubi prius cœpta fuit per detentatorem.*

15 *Adverſus eum, qui dolo deſiit poſsidere, rei vendicatio competit.*

16 *Actor debet certa demonſtratione rem, ſuper qua agit, demonſtrare.*

17 *In libello debet actor poſtulare, quod dominus rei petitæ declaretur.*

18 *Actor petere debet, rem ſibi cum fructibus, tàm perceptis, quàm percipiendis reſtitui.*

19 *Damnum, & intereſſe poteſt petere actor ſibi reſarciri.*

20 *Fructus, intereſſe, & damnum liquidari debent à Judice in ipſa ſententia condemnatoria.*

21 *Libellus in actione reali, Hiſpano ſermone compoſitus.*

§. TER-

(*j*) Ut in dict. leg. *Si pro fure*, §. fin. & in leg. *In re furtiva*, ff. de *Condict. furt.*
(*k*) Ut in leg. *Inter ſtipulantem*, §. *Stichum*, ff. de *Verb. oblig.* & in dict. leg. *In re furtiva.*
(*l*) Juxta text. in dict. leg. *In re furtiva.*
(*m*) Ut in dict. leg. *In re furtiva.*
(*n*) In leg. *Stipulationes dividuntur*, ff. de *Verbor. obligat.* quæſt. 6. receptum ab Alexand. ibi, & à Miſing. in dict. §. *Sic itaque*, n. 20.

§. TERTIUS.

DE ACTIONE REALI.

1. Reales actiones appellantur *rei vindicationes*, (a) 2. & nuncupantur rei vendicationes à verbo *vindicare*: eſt enim vendicare *rem ab alio poſſeſſam in jus, poteſtatemque noſtram revocare*: (b) & inde vendicationes ſunt *actiones, quibus rem noſtram eſſe intendimus*. (c) 3. Rurſus, reales actiones ſunt, *quando jus reperitur abſque obligatione alicujus perſonæ, & rem ipſam comitatur, daturque contra quemcunque rei poſſeſſorem*. (d)

4. Et ad hoc ut actio realis, id eſt, *rei vendicatio* alicui competat, requiruntur ſequentia: 4. primò requiritur, quod actor dicat, *ſe dominum eſſe illius rei, & ad ſe pertinere jure dominii vel quaſi*: (e) 5. ſufficeret tamen actori ad hanc actionem habere dominium revocabile. (f) 6. Quo fit, poſſeſſorem primogenii agere poſſe rei vendicatione pro ſuo majoratu, ſi à poſſeſsione caderet, ſecundum Palatium Rubium: (g) 7. quinimo, ſufficeret actori habere utile dominium. (h)

8. Unde qui in libello ſimpliciter dixerit, *ſe rei dominum eſſe*, & poſtea probaverit utile dominium, obtinebit in cauſa: (i) quod intelligendum eſt juxta id, quod reſolvit Covarruvias: (j) & quod ſit *utile*, & *directum* dominium, docet Bartolus, (k) & probatur in Auth. *Si vero dominus temporalis*, Cod. de *Hæret.* ubi fit mentio *dominii ſuperioris*; ergo eſt *dominium inferius*: & ita agnoſcit D. Franc. à Sarmiento, qui alia genera dominii conſtituit; (l) quamvis Paulus Caſtrenſis, (m) & Igneus, (n) & Valaſcus (o) teneant, non eſſe utile dominium.

9. Fit etiam ex ſuperioribus, emphyteotam poſſe agere rei vendicatione: (p) 10. fit inſuper, locatorem alicujus rei *ad longum tempus* poſſe agere rei vendicatione. (q) 11. Sufficeret denique actori, dominum rei eſſe tempore ſententiæ, etſi dominus non eſſet tempore, quo rei vendicationem intentavit, ſed poſteà, lite pendente, dominium ſupervenerit, ſecundum Gloſſam. (r)

12. Secundo requiritur, quod actor in libello dicat, *adverſarium poſsidere, vel rem detinere*: (ſ) 13. quod verum eſt, & procedit niſi verus poſſeſſor ſe offerat liti, quia tunc rei vendicatio ceſſat contra detentorem; (t) 14. tenebitur tamen verus poſſeſſor, ſe offerens liti, cauſam proſequi coram Judice, ubi prius fuit cepta, quando comparet pro defenſione utilis dominii nominantis eum; ſecus, ſi pro defenſione ſui directi dominii: 2. ita reſolvit Covarruvias. (u) 15. Pari modo rei vendicatio datur adverſus eum, qui dolo deſiit poſsidere. (x)

(a) Juxta text. in leg. *Actionum* in princ. ff. de *Action. & oblig.* & in §. *Appellamus*, Inſtit. de *Action.*

(b) Ut probatur in leg. *Quintus* 29. §. *Argento*, & §. *Cui legatum*, ff. de *Auro, & argent. legat.* & in leg. 66. ff. de *Rei vindic.*

(c) Ita explicant Hotoman. Miſing. & Corraſ. in dict. §. *Appellamus*, & Briſon. lib. 19. de Verb. ſignific. verb. *Vindicatio.*

(d) Ut in cap. 1. ſupr. in princ. diximus.

(e) Ut in leg. *In rem*, ff. de *Rei vindic.* & in leg. *Doce ancillam*, Cod. eod. tit. & in leg. 25. tit. 2. Part. 3. &, *quid ſit dominium*, tradit Bartol. in leg. *Si quis vi*, §. *Differentia*, n. 4. ff. de *Acquir. poſſeſ.* cujus definitio communiter recipitur, ſecundum Ripam in Rubr. Extr. de *Cauſa poſſeſ. & propr.* & Doctiſsimum Pinelum in Rubr. Cod. de *Bon. mat.* 1. part. & illam diffinitionem Bartol. eleganter explicat *more ſuo ſolito* Doctiſsimus, & Piiſsimus Doctor Navar. in Relect. cap. *Non dicatis* 12. quæſt. 1. in præmiſ. n. 7. verſ. Undecimo.

(f) Ut in leg. *Non ideo minus*, ff. de *Rei vindic.*

(g) In leg. 46. Taur. n. 2. & Anton. Gom. in leg. 40. Taur. n. 76.

(h) Ut in leg. *Superficiario*, ff. de *Rei vindic.* & in leg. 1. ff. *Si ager vectig. vel emph.* & tenet gloſ. in §. *Omnium*, verb. *Poſsideat*, Inſtit. de *Action.* communiter recepta ex Jaſ. ibi, num. 66. & Greg. Lup. in leg. 1. tit. 28. Part. 3. in gloſ. verb. *El ſeñorìo.*

(i) Juxta text. in leg. *Si mater*, §. *Eandem cauſam*, ff. de *Except. rei judic.* & hanc dixit communem opinionem olim Præceptor meus venerandus Doctiſsimus Pinelus in leg. 1. Cod. de *Bon. matern.* 2. part. n. 8.

(j) In reg. *Poſſeſſor* 3. part. §. 1. n. 2.

(k) Et omnes in leg. 1. §. *Qui in perpetuum*, ff. *Si ager vectig.* & Pariſ. in conſ. 50. n. 21. vol. 1.

(l) In lib. 3. Selectarum, cap. 11. n. 27.

(m) In dict. leg. *Si quis vi*, §. *Differentia.*

(n) In leg. *Contractus*, n. 137. ff. de *Reg. jur.*

(o) De Jure emph. quæſt. 13.

(p) Secundum Bart. in leg. *Si mater*, §. *Eandem*, n. 2. ff. de *Except. rei judic.*

(q) Secundum Bartol. in leg. *Codicillis*, §. *Inſtituto*, ff. de *Legat.* 2. & communiter omnes ex Pinel. in leg. 1. Cod. de *Bon. matern.* 2. part. n. 18.

(r) Fin. in leg. *Si rem*, §. fin. ff. de *Pignor. action.* quam ſequuntur Pan. & alii in cap. *Abbate ſanè*, de *Re jud.* lib. 6: quod verum eſt, ſecundum id, quod docet Bartol. in leg. *Et an eadem*, §. *Actiones*, n. 18. ff. de *Except. rei judic.* & Jaſ. in dict. §. *Omnium*, n. 66.

(ſ) Ut probat text. in leg. *Officium*, ff. de *Rei vindic.* & in leg. 1. Cod. de *Alienat. judic.* & in cap. *Examinata*, de *Judic.* & in leg. 25. tit. 2. Part. 5. & firmat gloſ. in dict. §. *Omnium*, verb. *Poſsideat*, & ibi Jaſ. n. 76. & Miſing. n. 24. & Hotoman. ver. *De aliqua re.*

(t) Ut in leg. 1. Cod. *Ubi in rem action.* & in cap. *Quoniam frequenter*, §. *Quod ſi ſuper rebus*, *ut lite non conteſt.* & in leg. 29. tit. 2. Part. 3.

(u) In Pract. Quæſt. cap. 8. n. 2. & probatur in leg. 57. tit. 6. Part. 1.

(x) Ut in leg. *Quod ſi*, de *Dolo*, ff. de *Rei vindic.* & in leg. 30. tit. 2. Part. 3.

16. Tertio requiritur, quod actor in libello rem, quam petit, per duo confinia declaret. (y)

17. Quarto requiritur, quod actor petat *ſe dominum rei declarari*. (z)

18. Ultimò requiritur, quod actor petat *reum condemnari ad rei reſtitutionem cum fructibus perceptis, & percipiendis*; (a) 19. quinimo actor petere poterit damnum, & intereſſe. (b)

20. Animadvertere tamen *hodie* oportet, quod prædicti fructus, intereſſe, vel damnum à Judice liquidari debent in ipſa ſententia, qua reum ad rei reſtitutionem condemnat, ut probatur in leg. 52. tit. 5. lib. 2. Recop. & in leg. 20. tit. 9. lib. 3. Recop. Et libellus in actione reali concipiendus erit forma ſequenti.

LIBELLUS IN ACTIONE REALI.

Iluſtre Señor.

21. ,, Fulano, vecino de tal parte, como
,, mas haya lugar de derecho, parezco ante
,, Vmd. y pongo demanda à Fulano, vecino
,, de tal Lugar, y digo: que aſsi es, que per-
,, teneciendome, como me pertenece *jure do-*
,, *minii, vel quaſi* un prado cerrado, que es
,, en tal parte, de que ſon linderos, de una
,, parte prado de Fulano, y de la otra tierra
,, de Fulano, el dicho adverſo ſin titulo, ni
,, cauſa, que baſtante ſea, tiene entrado, y
,, ocupado el dicho prado, y lo tiene, y poſ-
,, ſee, goza, y desfructa de tanto tiempo à
,, eſta parte: y aunque por mì ha ſido mu-
,, chas, y diverſas veces requerido, que me
,, lo dexe, buelva, entregue, y reſtituya, no
,, lo ha querido, ni quiere hacer ſin contien-
,, da de juicio: Por que pido à Vmd. que, ha-
,, bida mi relacion por verdadera, en quanto
,, baſte, y otro mas, y mejor pedimento neceſ-
,, ſario ſiendo por expreſſo, del ſobredicho me
,, haga entero cumplimiento de juſticia, y
,, por ſu ſentencia, que en tal caſo lugar ha-
,, ya, me declàre por ſeñor, *vel quaſi* del di-
,, cho prado: y aſsi declarado, condene al di-
,, cho adverſo, à que me dè, buelva, entre-
,, gue, y reſtituya el dicho prado con mas
,, los fructos, que deſde el dia, que ſe metiò
,, en el dicho prado ha rentado, y podido ren-

,, tar, y rentàre haſta la real entrega, que eſti-
,, mo en tantos mil maravedis cada un año: y,
,, mas le condene en todos los daños, y me-
,, noſcabos, que el dicho prado tiene deſpues
,, que el adverſo lo poſſee: ſobre que pido juſ-
,, ticia, y coſtas; y el oficio de Vmd. imploro,
,, y juro en forma de derecho, &c.

EX §. QUARTO.

SUMMARIA.

1 *Confeſſoriæ, & negatoriæ actiones, quæ pro ſervitutibus competunt, reales ſunt.*

2 *Servitus alia eſt perſonalis, alia realis, & alia mixta.*

3 *Perſonalis ſervitus eſt, quæ debetur à perſona perſonæ.*

4 *Res propria nemini ſervire poteſt.*

5 *Servitus realis eſt, quæ à re rei debetur.*

6 *Libellus in actione reali debet formari in prædio, & non in perſona.*

7 *Realium ſervitutum quædam urbanæ ſunt, quædam ruſticæ.*

8 *Urbanæ ſervitutes ſunt illæ, quæ ſunt conſtitutæ in ædificiis habitandi cauſa factis.*

9 *Urbanum prædium non locus, ſed materia facit.*

10 *Ruſtica ſervitus illa dicitur, quæ conſtituta eſt in prædiis, non habitandi, ſed fructuum percipiendorum cauſa.*

11 *Servitus utrum ſit urbana, vel ruſtica ex qualitate prædii dominantis cognoſcitur.*

12 *Mixta ſervitus eſt, quæ debetur à re perſonæ.*

13 *Perſonalis ſervitus cum perſona extinguitur.*

14 *Reales ſervitutes vendicari poſſunt, tanquam realia.*

15 *Servitutum quædam ſunt continuæ, quædam quaſi continuæ, quædam diſcontinuæ appellantur.*

16 *Continuæ ſervitutes ſunt, quæ factum hominis non requirunt.*

17 *Quaſi continuæ ſunt ſervitutes, quæ poſt principium non requirunt factum hominis.*

18 *Diſcontinuæ ſervitutes appellantur, quæ ſemper factum hominis deſiderant.*

19 *Pro ſervitutibus confeſſoria, & negatoria competit actio.*

(y) Ut probatur in leg. *Forma*, ff. de *Cenſib.* & in leg. *Si in rem*, ff. de *Rei vindic.* & in leg. 25. tit. 2. Part. 3.

(z) Juxta text. in leg. *Ex diverſo*, §. 1. & ibi Bart. ff. de *Rei vindic.* & Jaſ. in dict. §. *Omnium*, n. 172.

(a) Ut probatur in leg. *Fructus* 34. ff. de *Rei vindic.* & in leg. *Si navis*, §. fin. ff. eod. tit. & in leg. 39. tit. 28. Part. 3. & explicat Jaſ. in dict. §. *Omnium*, n. 75. Covar. lib. 1. Variar. cap. 3. n. 1. & 6. Pinel. in leg. 2. Cod. de *Reſcind. vendit.* 2. part. cap. 4. n. 50. & Connan. lib. 8. Comment. cap. 11.

(b) Juxta text. in leg. *Non ſolum*, ff. de *Rei vindic.* in leg. 39. tit. 28. Part. 3.

20 *Confeſſoria actio illi competit, qui aſſerit, ſibi ſervitutem conſtitutam eſſe, & deberi.*

21 *Negatoria actio ei accommodatur, qui ſervitutem deberi negat.*

22 *Negatoriæ, & confeſſoriæ actiones pro juribus incorporalibus competunt.*

23 *In libello confeſſoriæ allegare debet actor, ſe dominum eſſe prædii dominantis, & ab alio prædio, ſuo ſervitutem debitam eſſe.*

24 *Prædialis ſervitus ſine duobus prædiis conſiſtere nequit.*

25 *Sufficit, quem eſſe dominum prædii dominantis, utile, vel quaſi dominium habere.*

26 *Ut actio confeſſoria competere poſsit, ſufficit, quem jus habere in prædio dominante.*

27 *Creditori competit confeſſoria actio.*

28 *Uſufructuarius, etſi non proprio, domini tamen nomine confeſſoria agere poteſt.*

29 *Agens confeſſoria actor demonſtrare debet fundum dominantem per duo confinia, & eodem modo ſervientem.*

30 *Actor, ſi velit confeſſoria actione experiri, allegare debet, ſe in quaſi poſſeſsione ſervitutis conſtitutum eſſe.*

31 *Confeſſoria actio pro ſervitute conſtituta, non pro conſtituenda datur.*

32 *Dicere debet actor confeſſoria agens, ſe ab adverſario ſervitute uti prohiberi.*

33 *In libello debet actor petere, quod Judex declaret, ſervitutem ſuo prædio ab adverſarii fundo debitam eſſe.*

34 *Actor, in confeſſoria actione inſtituenda, poteſt fructus, & damna poſtulare.*

35 *In libello confeſſoriæ actionis petere debet actor, quòd Judicis officio ab adverſario, ſuiſque hæredibus caveatur, non fore ſe ab ipſis in futurum impediendum.*

36 *Creditor, uſufructuarius, & alii habentes jus in re, ſi confeſſoria experiantur, jus, quod eis in re competit, allegare tenentur.*

37 *Negatoria competit neganti, ſervitutem debitam eſſe.*

38 *Quamvis actor ſit in poſſeſsione ſervitutis, probare tenetur, ſibi debitam eſſe.*

39 *Omnis res libera præſumitur.*

40 *Agens negatoria allegare debet, ſe dominum prædii eſſe, item prædium liberum eſſe.*

41 *Si quis negatoria experiatur, allegare tenetur, adverſarium inquietare eum ratione ſervitutis ſibi non debitæ.*

42 *Actor negatoria agens poteſt petere, non ſolum fructus, & damna, ſed etiam intereſſe.*

43 *Negatoriam intendens poteſt à Judice petere, ut ab adverſario cautionem exigat, quod nec ipſe, nec ejus hæredes eum amplius inquietabunt.*

44 *Libellus in actione confeſſoria Hiſpano ſermone formatus.*

45 *Libellus in actione negatoria Hiſpana lingua compoſitus.*

§. QUARTUS.

DE ACTIONE CONFESSORIA, & negatoria.

1. ACtiones *confeſſoria*, & *negatoria* reales ſunt, & pro ſervitutibus competunt: (*a*) 2. pro quarum explicatione conſtituendum erit, ſervitutum tres eſſe ſpecies, ſcilicet, *perſonalem*, *realem*, & *mixtam*. (*b*) 3. Perſonalis ſervitus eſt, *quæ à perſona perſonæ debetur*, ut putà, quando dominus alicujus ſervi conceſsit alteri operas in eodem ſervo: (*c*) & in iſto exemplo intelligi debet dict. lex 1. tit. 31. Part. 3. quamvis Greg. Lupus ibi intelligat in ſervitute, quam debet ſervus domino, quod tamen falſum eſt, 4. cum in re propria ſervitus conſtitui non poſsit. (*d*)

5. Servitus Realis eſt, *quæ debetur à re rei*, ut ſervitus urbana, & ruſtica, quæ non debetur perſonæ, ſed prædio: (*e*) 6. & ideo libellus, & ſententia in prædio, & non in perſona debet formari. (*f*)

7. Et ſervitutum realium quædam ſunt *urbanæ*, & quædam *ruſticæ*: 8. Urbanæ ſunt, *quæ ſunt conſtitutæ in ædificiis habitandi cauſa factis*, ſive in Villa, ſive in Civitate, 9. quia prædium urbanum locus non facit, ſed materia: (*g*) 10. ſervitutes Ruſticæ ſunt, *quæ conſtitutæ ſunt in prædiis cauſa fructuum percipiendorum factis*: (*h*) 11. & diſtinguitur, an ſit *urbana*, vel *ruſtica* ex qualitate prædii dominantis, cui ſervitus debetur, non ex qualitate prædii debentis ſervitutem: (*i*) 12. ſervitus verò Mixta eſt, *quæ debetur à re perſonæ*, ut uſuſfructus, uſus, & habitatio: & iſtæ etiam dicuntur *perſonales*; (*j*) 13. quia cum perſona extinguuntur: (*k*) 14. dicuntur etiam *reales*, quia tanquam realia vendicantur. (*l*)

(*a*) Ut in §. *Æquè ſi agat*, Inſtit. de *Action.*

(*b*) Ut probat text. junct. gloſ. in leg. 1. ff. de *Servit.* & in leg. 1. tit. 31. Part. 3. Cæpol. in Tit. de Servit. urban. præd. cap. 1. n. 1. & Anton. Gom. 2. Tom. Variar cap. 15. num. 1.

(*c*) Ita exemplificant Faber. & Jaſ. n. 8. in dict. §. *Æquè ſi agat.*

(*d*) Ut probatur in leg. *In re communi*, ff. de *Servit. urban.* & tradunt Jaſ. n. 2. in dict. §. *Æquè ſi agat*: Cæpol. ubi ſupr. cap. 7. & Anton. Gom. in dict. cap. 15. n. 1.

(*e*) Ut leg. *Unus ex ſociis*, ff. de *Servit. ruſt. præd.*

(*f*) Ut in leg. *Qui aliena*, §. fin. ibi: *Sententiæ prædio datur*, ff. de *Neg. geſt.* Cæpol. ubi ſupr. cap. 2. n. 1. & definitionem ſervitutis realis ponit Bartol. leg. 1. ff. *Servit.* & explicat Cæpol. dict. cap. 2. n. 3. Meneſ. in Rubr. Cod. de *Servit.* n. 8.

(*g*) Ut in leg. *Urbana prædia*, ff. de *Verb. ſignif.*

(*h*) Ut leg. *Eo jure*, §. *Stabula*, ff. *Quib. mod. pign. tacitè*, explicat Cæpol. ubi ſupr. cap. 11. n. 2.

15. Rurſus ſervitutum quædam ſunt *continuæ*, quædam *quaſi-continuæ*, & quædam *diſcontinuæ*. 16. Continuæ ſunt, *quæ habent cauſam continuam, & perpetuam*, & factum hominis non ſemper requirunt; licet à principio requiratur ad conſtituendam ſervitutem, ut ſervitus aquæductus, altius non tollendi, tigni injuncti. 17. Quaſi-continuæ ſervitutes dicuntur, *quæ poſt principium non requirunt factum hominis*; non tamen ſemper ſunt in uſu actualiter, ſed potentialiter, ut ſervitus ſtillicidii, aquæductus ex cœlo cadentis, quia non ſemper pluit. 18. Diſcontinuæ ſervitutes ſunt, *quæ ſemper requirunt factum hominis*, ut ſervitus itineris, viæ, & ſimiles: hanc diſtinctionem ſervitutum conſtituit Gloſſa: (*m*) & præcipuus effectus hujus diviſionis verſatur circa præſcriptionem ſervitutum, ut reſolvit Cæpola. (*n*)

19. His ſic conſtitutis, dicendum eſt, pro ſervitutibus proditas eſſe duas actiones, ſcilicet, *confeſſoriam*, & *negatoriam*: 20. confeſſoria enim *datur adverſus eum, qui aliquem impedit ſervitute uti*; 21. negatoria vero *datur neganti ſe ſervitutem debere*: & ita *confeſſoria* competit ad vendicandam ſervitutem; *negatoria* autem ad vendicandam libertatem ſervitutis: (*o*) 22. competunt etiam iſtæ actiones pro aliis juribus incorporalibus: ut putà, ſi quis impediatur jure eligendi, decimandi, vel præſentandi, ſecundum Gloſſam; (*p*) etſi contrarium ſentiat Covarruvias. (*q*)

23. Et ad hoc ut alicui competat actio confeſſoria, requiruntur ſequentia: primò, quod actor in libello dicat, *ſe dominum*, vel *quaſi dominum prædii dominantis eſſe, prædioque ſuo ſervitutem deberi*: 24. nam ſine duobus prædiis ſervitus non conſtituitur: (*r*) quo fit, actorem debere eſſe dominum prædii dominantis; (*ſ*) 25. ſufficeret tamen, dominum directum, vel utilem, aut quaſi dominum eſſe, (*t*) 26. vel habere jus in re dominante, 27. ut eſt creditor, qui, ſi impediatur uti ſervitute debita rei ſibi pignoratæ, agere poterit hac actione confeſſoria; (*u*) 28. uſufructuarius tamen proprio nomine hac actione experiri non poterit; (*x*) nomine vero domini bene agere poterit. (*y*)

29. Secundo requiritur, quod actor per duo confinia declaret fundum dominantem, & ſervientem: (*z*) 30. tertio requiritur, quod actor in libello dicat, *ſe eſſe in quaſi-poſſeſsione ſervitutis*: 31. quia iſta actio confeſſoria competit pro ſervitute conſtituta; non vero pro conſtituenda: (*a*) 32. quarto requiritur, quod actor dicat *ſe ab adverſario impediri uti prædicta ſervitute*: (*b*) 33. quinto requiritur, quod actor à judice petat, *quod declaret ſervitutem debitam eſſe ſuo prædio à prædio adverſarii*. (*c*)

34. Sexto requiritur, *actorem petere fructus, & damna*; nam hæc omnia in confeſſoria veniunt:

(*i*) Ut in leg. 1. §. *Area*, ff. de *Servit. ruſt. præd.* Cæpol. dict. cap. 11. n. 10.

(*j*) Ut in leg. 1. ff. de *Serv.*

(*k*) Ut in leg. *Non ſolum* II. §. *Tale*, ff. de *Liber. legat.*

(*l*) Ut in leg. *Uti frui* in princ. ff. *Si uſusfruct. petat.* & de his mixtis agit latè Cæpol. ubi ſupr. cap. 3. cum tribus ſeqq. & Anton. Gom. dict. cap. 15. n. 2.

(*m*) Mag. in leg. *Servitutes*, ff. de *Servit.* & Cæpol. ubi ſuprà, cap. 19.

(*n*) In dict. cap. 19. & Anton. Gom. dict. cap. 15. à n. 24. & Covar. lib. 1. Variar. cap. 17. n. 11. & quis poſsit conſtituere ſervitutes: & quibus poſsint concedi, & in quibus rebus conſtituantur, & quomodo, & qualiter conſtituantur, explicat Cæpol. latè ubi ſupr. in cap. 14. cum ſeqq.

(*o*) Ita probatur in leg. 2. & in leg. *Loci corpus*, §. *In confeſſoria*, ff. *Si ſerv. vindic.* & in dict. §. *Æquè ſi agat.*

(*p*) Juncto text. in cap. *Cum Eccleſia*, de *Cauſa poſſeſ. & propriet.* & gloſ. in cap. *Examinata*, de *Judic.* verb. *Poſsidebas*, & gloſ. in cap. *Non eſt moderamen*, verb. *Si vendicet* 16. quæſt. 1. & tradunt Jaſ. n. 35. Gomec. n. 52. in dict. §. *Æquè ſi agat*, & teſtatur communem Rebuff. in Tract. de Decimis, quæſt. 9. n. 11. & Jaſ. in leg. *Si prius*, n. 3. & 4. ff. de *Nov. oper.*

(*q*) Lib. 1. Variar. cap. 7. n. 10.

(*r*) Ut in §. pen. Inſtit. de *Servit. ruſt.* & in leg. *Quoties*, §. 1. ff. de *Servitut.* & in leg. *Ergo*, ff. de *Servit. ruſtic.*

(*ſ*) Ut probatur in leg. 1. & 2. & ibi gloſ. verb. *Altius*, ff. *Si ſerv. vindic.* & notant communiter omnes ex D. Ant. de Padilla in leg. 1. Cod. de *Servit. & aqua*, n. 58.

(*t*) Ut probatur in leg. *In provinciali*, §. *Si ergo*, ff de *Nov. oper.*

(*u*) Juxta text. in leg. *Ei qui*, ff. de *Servit.* & in leg. *Creditori*, ff. de *Nov. oper.*

(*x*) Ut probatur in leg. 1. in princ. ff. *Si uſusfruct. petat.*

(*y*) Ut probatur in leg. unic. verſ. *Item Juliano*, ff. de *Remiſ.* & reſolvit Corraſ. in leg. *Ei qui*, ff. de *Servit.* n. 6. & *an uſufructuarius, vel alius habens utile dominium conſtituere poſsit ſervitutem*, tractat gloſ. & ibi Corraſ. in leg. 3. ff. de *Servit.* & Boer. in deciſ. 181. n. 2. Anton. Gom. in leg. 4. Taur. n. 84. & Pinel. in leg. 1. Cod. de *Bonis mat* 3. part. n. 71.

(*z*) Juxta text. in leg. *Forma*, ff. de *Cenſib.*

(*a*) Ut probat text. in leg. *Sicuti*, §. *Sed ſi quæratur*, ff. *Si ſervit. vindicet.* & quomodo, & qualiter quaſi poſſeſsio ſervitutis acquiri poſsit, docet Bart. in leg. 1. Cod. de *Servit.* Jaſ. in dict. §. *Æquè, ſi agat*, n. 41. D. Ant. de Padilla in leg. 2. n. 3. Cod. de *Servit. & aqua.*

(*b*) Ut probatur in leg. *Si quis diuturno*, §. fin. ff. *Si ſerv vindic.*

(*c*) Ut in leg. *Sicuti*, §. *Si quæratur*, ff. *Si ſervit. vindic.*

niunt: (*d*) 35. ultimo requiritur, quod actor petat, *ut officio Judicis ſibi caveatur per impedientem, quod nec ipſe, nec ſui hæredes in futurum non impedient eum uti prædicta ſervitute.* (*e*) 36. Eſt advertendum, quod quando confeſſoria intentatur à creditore, uſufructuario, vel ſuperficiario, nec eſſe eſt dici, *ſe eſſe creditorem, uſufructuarium*, vel *ſuperficiarium*: & in hac actione libellus erit formandus, modo paulò inferius præſcripto.

37. Negatoria actio competit neganti, ſe ſervitutem debere, ut ſupra diximus: 38. in qua actione illud erit obſervandum, quod licèt adverſarius ſit in quaſi-poſſeſsione ſervitutis; per hoc tamen non liberabitur ab onere probandi, ſervitutem conſtitutam fuiſſe, etiam ſi actor non probet libertatem ſuæ rei, 39. quia præſumptio juris eſt, quemlibet fundum liberum eſſe. (*f*)

40. Et ad hoc ut competat hæc negatoria alicui requiruntur ſequentia: primo requiritur, quod actor dicat, *ſe dominum*, vel *quaſi-dominum prædii eſſe*: (*g*) ſecundo requiritur, quod dicat, *prædium ſuum liberum eſſe*: (*h*) 41. tertio requiritur, quod dicat, *adverſarium perturbare, & inquietare eum ratione ſervitutis ſibi non debitæ*: (*i*) 42. quarto requiritur, *quod actor petat fructus intereſſe, & damna*, nam etiam in hac actione veniunt: (*j*) 43. ultimo requiritur, quod petat, *quod adverſarius præſtet cautionem de non perturbando, & inquietando eum ſuper illa ſervitute non debita*, ad quod compelli poteſt: (*k*) & libellus in hac actione erit formandus, ut ſtatim dicemus.

LIBELLUS IN ACTIONE *confeſſoria.*

Iluſtre Señor.

44. „ Fulano, parezco ante Vmd. y pongo
„ demanda à Fulano, y contando el caſo, di-
„ go: que ſiendo yo ſeñor de una tierra, que
„ es en termino de tal lugar, que ſon linde-
„ ros, de una parte tierra de Fulano, y de otra
„ tierra de Fulano: y teniendo la dicha mi
„ tierra ſervidumbre de camino por una tier-
„ ra del dicho Fulano, que es junto à la mia,
„ para la ir à labrar, ſembrar, y beneficiar, y
„ con el carro acarrear el pan, y fructos que
„ en ella ſe cogen: y eſtando en poſſeſsion,
„ *vel quaſi* de la dicha ſervidumbre, el dicho
„ adverſo contra todo derecho, ſin titulo,
„ ni cauſa, que baſtante ſea, me ha impedi-
„ dido, è impide uſar de la dicha ſervidum-
„ bre, y no conſiente que ſe paſſe por la di-
„ cha ſu tierra à la mia, à hacer los aprove-
„ chamientos neceſſarios, de lo qual ſe me
„ han recrecido muy grandes daños, y me-
„ noſcabos, aſsi en la dicha tierra, como en
„ los fructos de ella, que eſtimo en veinte mil
„ maravedis; y aunque por mi ha ſido reque-
„ rido, que no me impida, ni perturbe en la
„ dicha ſervidumbre, antes me déxe paſſar por
„ ſu tierra libremente, no lo ha querido, ni
„ quiere hacer ſin contienda de juicio: por
„ que pido à Vmd. que, habida mi relacion
„ por verdadera, en quanto baſte, y otro mas,
„ ò mejor pedimento neceſſario ſiendo por
„ expreſſo, por ſu ſentencia, que en tal ca-
„ ſo lugar haya, decláre la tierra del dicho
„ adverſo deber la dicha ſervidumbre de ca-
„ mino à la dicha mi tierra, y eſtàr en quaſi
„ poſſeſsion de ella: y aſsi declarado, mande
„ al dicho parte contraria, que no me per-
„ turbe, ni inquiete en el uſo de la dicha ſer-
„ vidumbre, y mas, le condene en los daños,
„ fructos, è intereſſes, y menoſcabos, que por
„ haverme impedido el uſo de la dicha ſervi-
„ dumbre ſe me han ſeguido, y recrecido,
„ que eſtimo en los dichos veinte mil marave-
„ dis, ſalvo en todo la judicial taſſacion de Vmd.
„ ſobre que pido cumplimiento de juſticia, y
„ coſtas, y el oficio de Vmd. imploro, y ju-
„ ro à Dios, y à eſta ✠ que eſta demanda no
„ pongo de malicia, &c.

„ Otrosì, de ſu oficio de Vmd. el qual pa-
„ ra ello imploro, à Vmd. pido le compela,
„ y apremie à que me dè ſuficiente caucion,
„ y fianzas, que agora ni en tiempo alguno,
„ él, ni ſus herederos y ſucceſſores, ni quien
„ de él, y de ellos hubiere titulo, y cauſa en
„ la dicha ſu tierra, no me impidiràn à mi,
„ ni à mis ſucceſſores, ni à quien hubiere ti-
„ tulo, y cauſa en la dicha mi tierra, el paſ-
„ ſo, y camino por ſu tierra à la mia, y nos
„ dexaràn paſſar libremente, y uſar de la di-
„ cha ſervidumbre: lo qual le mande Vmd.
„ cumpla, y guarde ſò graves penas, en las
„ quales Vmd. deſde luego à él, y à ſus ſuc-
„ ceſ-

(*d*) Juxta text. in leg. *Loci corpus*, §. *In confeſſoria*, ff. *Si ſervit. vindic.* & in leg. *Uti frui*, §. *In his*, ff. *Si uſusfruct. petat.*

(*e*) Juxta text. in leg. *Egi*, & in leg. *Harum*, ff. *Si ſerv. vindic.*

(*f*) Ut probatur in leg. *Altius*, Cod. de *Serv.* & in leg. *Sicuti*, §. *Sed ſi quæratur*, juncta gloſ. ff. *Si ſervit. vind.* & tradunt Tiraquel. de Primog. quæſt. 17. op. 11. & Alciat. in reg. 2. part. 2.

(*g*) Ut in leg. 2. in princ. ff. *Si ſervit. vindic.*

(*h*) Ut in leg. *Loci corpus*, §. *Competit*, ff. *Si ſervit. vind.*

(*i*) Ut in leg. *Si quis diuturno*, §. fin. ff. *Si ſervit. vind.*

(*j*) Ut in dict. leg. *Loci corpus*, §. *In confeſſoria.*

(*k*) Juxta text. in dict. leg. *Harum*, & in dict. leg. *Egi.*

„ ceſſores los haya por condemnados, lo con-
„ trario haciendo: para lo qual, &c.

LIBELLUS IN ACTIONE NEGATORIA.

Iluſtre Señor.

45. „ Fulano, vecino de tal Lugar, pa-
„ rezco ante Vmd. y pongo demanda à Fu-
„ lano, y digo: que aſsi es, que teniendo yo,
„ è poſſeyendo unas caſas mias, y como mias
„ en eſta Ciudad à tal parte, de que ſon lin-
„ deros caſas de Fulano por una parte, y por
„ otra parte caſas de Fulano, y por delantera
„ calle pública; y ſiendo las dichas mis caſas
„ libres, y no debiendo ſervidumbre alguna, el
„ dicho adverſo pretende, que deben ſervi-
„ dumbre à otras caſas ſuyas: y aſsi, querien-
„ do yo alzar, y reedificar mis caſas, me ha
„ impedido el edificio, y que no las alce, de-
„ nunciandome labor nueva, y por el dicho
„ impedimento no las he podido alzar: de lo
„ qual en la dicha obra ſe me han ſeguido
„ de daños, y menoſcabos cinquenta mil ma-
„ ravedis, aſsi en los materiales, Maeſtros, y
„ Oficiales, como en los alquileres; y pueſto,
„ que muchas, y diverſas veces por mì ha ſi-
„ do requirido, que no me impida el dicho
„ edificio, no lo ha querido hacer ſin con-
„ tienda de juicio: por que pido à Vmd. que
„ habida mi relacion por verdadera, en quan-
„ to baſte para el vencimiento de eſta cauſa,
„ por ſu ſentencia, que en tal caſo lugar ha-
„ ya, del ſobredicho me haga entero cum-
„ plimiento de juſticia, declarando las dichas
„ mis caſas ſer libres, y no deber ſervidum-
„ bre alguna à las caſas del dicho adverſo, y
„ mandandole, que no me impida el alzar,
„ y edificar mis caſas, y condenandole en los
„ daños, y menoſcabos, que ſe me han ſegui-
„ do de haverme impedido el dicho edificio,
„ que eſtimo en los dichos cinquenta mil ma-
„ ravedis, ſalvo la judicial taſſacion de Vmd.
„ ſobre que pido juſticia, y coſtas, y el ofi-
„ cio de Vmd. imploro, y juro en forma de
„ derecho, &c.

„ Otrosì, à Vmd. pido, que de ſu oficio,
„ el qual para ello imploro, condene, com-
„ pela, y apremie al dicho Fulano, à que me
„ dè ſuficiente caucion, y ſeguro, que agora,
„ ni en tiempo alguno él, ni ſus herederos,
„ ni quien de él, y de ellos tuviere titulo, y
„ cauſa alguna en las dichas ſus caſas, no im-
„ pidiràn à mì, ni à mis ſucceſſores, que al-
„ cemos, y edifiquemos las dichas mis caſas,
„ y para ello, &c.

EX §. QUINTO.

SUMMARIA.

1 *Actio mixta eſt illa, quæ ſimul perſonalis, & realis dicitur.*

2 *In mixtis actionibus dignoſci non poteſt, quis actor, aut quis reus dicatur.*

3 *Mixta actio ſpeciem diverſam non conſtituit, ſed tantum qualitate ab aliis ſegregatur.*

§. QUINTUS.

DE ACTIONIBUS MIXTIS.

1 Diximus ſupra in principio hujus cap. actiones alias *mixtas* eſſe, quæ nec mere reales ſunt, ſed ſimul reales, & perſonales, nec mere perſonales, ut actio *familiæ erciſcundæ*, & actio *communi dividundo*, & actio *finium regundorum*: 2. & in his tribus actionibus uterque actor, & reus eſt: (*a*) 3. & qualirer inter ſe differant actiones reales, perſonales, & mixtæ, tradit Miſingerius: (*b*) non tamen conſtituunt ſpeciem de per ſe; ſed differunt qualitate, ut in præcitato loco diximus: & de unaquaque ſigillatim eſt dicendum: & ob id, licet omnes tres ſint bonæ fidei, (*c*) non inſerimus inter reliquas infra in cap. 6. de *Act. bonæ fidei.*

EX §. SEXTO.

SUMMARIA.

1 §. *De actione familiæ erciſcundæ.*

2 *Verbum* Familiæ erciſcundæ *exponi debet*, id eſt, *hæreditatis dividendæ.*

3 *Familia præcipue hæreditatem ſignificat.*

4 *Familiæ erciſcundæ actio jure civili eſt introducta.*

5 *Inter actiones bonæ fidei familiæ erciſcundæ actio connumeratur.*

6 *Judex in actione familiæ erciſcundæ ex bono, & æquo procedere poteſt.*

7 *Actione familiæ erciſcundæ conventus, quamvis bonæ fidei ſit poſſeſſor, fructus tamen communicare tenetur.*

8 *Si in re communis hæreditatis ſumptus fiant, inter cohæredes ſunt dividendi.*

9 *In familiæ erciſcundæ judicio veniunt damna à cohærede illata.*

Ac-

(*a*) Juxta text. in leg. *Actionis verbo*, §. fin. ff. de *Action. & oblig.* & in leg. 2. verſ. *In familiæ*, ff. *Famil. erciſc.*

(*b*) In §. *Quædam*, n. 10. Inſtit. de *Action.*

(*c*) Ut in §. *Actionum*, Inſtit. de *Action.*

10 *Actio familiæ erciſcundæ competit, non ſolum hæredibus jure civili, ſed etiam ex jure Prætorio ſuccedentibus.*

11 *Actio familiæ erciſcundæ ex quaſi contractu naſcitur.*

12 *Inter hæredes tantum familiæ erciſcundæ judicium datur.*

13 *Utilis actio familiæ erciſcundæ datur bonorum poſſeſſoribus, & fideicommiſſariis.*

14 *Judex in familiæ erciſcundæ judicio æqualitatem in diviſione ſervare debet.*

15 *Res dividenda, ſi commode diviſionem non recipiat, poteſt Judex ex officio integram rem alicui cohæredem aſſignare, dummodo alteri æſtimationem præſtari jubeat.*

16 *Sive ex teſtamento, ſive ab inteſtato cohæredes eſſe debent, ut familiæ erciſcundæ actio competat.*

17 *Ut actio familiæ erciſcundæ locum habere poſſit, neceſſario requiritur, cohæredem fateri, proponentem ſuum cohæredem eſſe.*

18 *Si cohæres ſit in poſſeſſione rerum hæreditariarum, etiam ſi adverſarius ſuum eſſe cohæredem neget, judicio familiæ erciſcundæ locus fieri poteſt.*

19 *Libellus in actione familiæ erciſcundæ ſermone Hiſpano conceptus.*

§. SEXTUS.

1. *DE ACTIONE FAMILIÆ erciſcundæ.*

2. Actio *familiæ erciſcundæ* exponi debet, id eſt, *hæreditatis dividendæ*: 3. nam familia inter reliquas ſignificationes hæreditatem ſignificat: (*a*) *erciſcere* verbum apud veteres ſumitur pro *dividere*, ut notat Corraſius: (*b*) 4. & hæc actio inventa fuit à Jure Civili: (*c*) 5. & eſt bonæ fidei; (*d*) 6. ac ideo in ea Judex habet facultatem ex bono, & æquo: (*e*) 7. ob idque in ea fructus veniunt, quamvis cohæres eos bona fide percipiat, nam tenetur eos communicare cohæredibus: (*f*) quod procedit, quando ex eis percipiens factus eſſet locupletior: (*g*) 8. deinde ſumptus bona fide facti in re hæreditatis, ſunt dividendi inter cohæredes: (*h*) 9. quinimo damna à cohærede data in hac actione veniunt. (*i*)

10. Rurſus, hæc actio competit cohæredi adverſus cohæredem, ut res inter eos hæreditariæ dividantur, (*j*) ſive hæredes ſint de Jure Civili, ſive de Jure Prætorio, licet ipſa à Jure Civili deſcendat: diciturque *mixta*, quia habet commune dominium cum actionibus realibus ex parte agentis, qui ad rem ſuam, quam non poſſidet, agit; (*k*) habetque communem obligationem cum actionibus perſonalibus, 11. quia oritur ex quaſi-contractu: (*l*) adeundo enim hæreditatem videntur hæredes contrahere; (*m*) 12. ac ideo requiritur, quod ſint hæredes, ſive *ex teſtamento*, ſive *ab inteſtato*, ſive ex Jure Civili, ſive Prætorio. (*n*)

13. Datur tamen actio *directa* de Jure Civili; *utilis* verò de Jure Prætorio datur bonorum poſſeſſoribus, & fideicommiſſariis, quibus hæreditas reſtituitur ex S. C. Trebelliano: (*o*) 14. & advertendum eſt, quod Judex in hac actione adjudicare debet ſingulas res ſingulis cohæredibus: & ſi una res pretioſior alia adjudicata ſit uni, condemnare debet illum, ut reſtituat certam quantitatem pecuniæ alteri, ut æqualitas ſervetur: (*p*) 15. quod verum eſt, & procedit, quando diviſio rerum commode fieri non poſſit. (*q*)

16. Et ad hoc quod hæc actio alicui competat, requiruntur ſequentia:, primo quod ſint hæredes, ſive *ex teſtamento*, ſive *ab inteſtato*, ſive de Jure Civile, ſive de Jure Prætorio: (*r*) 17. ſecundo, quod ille, contra quem hæc actio proponitur, fateatur, *proponentem eſſe ſuum cohæredem*; alioquin, ſi neget cohæredem eſſe, prius proponenda erit petitio hæreditatis, per quam declaretur hæres, (*ſ*) 18. niſi hanc actionem proponens ſit in poſſeſſione hæreditatis:

(*a*) Ut in leg. *Pronuntiatio*, §. 1. ff. de *Verb. ſignific.* & in leg. fin. Cod. eod. tit.
(*b*) In leg. *Frater à fratre*, ff. de *Condict. indeb.* Briſon. in lib. 5. de Verb. ſignific. verb. *Erciſcundæ*.
(*c*) Ut in leg. 1. ff. *Famil. erciſc.*
(*d*) Ut probat text. in §. *Actionum*, Inſtit. de *Action.*
(*e*) Ut in leg. *Item Labeo*, §. 1. ff. *Famil. erciſc.* & in §. *Si familiæ*, Inſtit. de *Offic. judic.*
(*f*) Ut in leg. *Inter cohæredes*, §. *Fructus*, ff. *Famil. erciſc.* & in leg. *Non eſt*, ubi gloſ. fin. Cod. eod. tit. & Roder. Suar. in leg. 8. tit. *De las herencias*, lib. 3. Fori, n. 38.
(*g*) In quo caſu loquitur Roderic. & reſolvit Covarr. lib. 1. Variar. cap. 3. n. 6.
(*h*) Ut in leg. 3. §. *Planè*, cum leg. ſeq. ff. *Comm. divid.* & in leg. *His conſequenter*, §. *Sumptum*, ff. *Famil. erciſc.*
(*i*) Ut in leg. *Et puto*, §. *Sed etſi dolo*, cum leg. ſeq. ff. *Famil. erciſc.*
(*j*) Ut probat text. in leg. 1. & tot. tit. ff. & Cod. *Famil. erciſc.*
(*k*) Ut in dict. leg. 1.
(*l*) Ut in §. *Item ſi inter*, Inſtit. de *Oblig. quæ ex quaſi contract.*
(*m*) Ut in leg. *Apud Julianum*, §. ult. ff. *Quib. ex cauſ. in poſſeſ. eat.*
(*n*) Ut in leg. 2. in princ. ff. *Fam. erciſc.*
(*o*) Ut in leg. *Sed & jus*, ff. *Famil. erciſc.*
(*p*) Ut probat text. in dict. §. *Quædam*, & in §. *Si familiæ*, Inſtit. de *Offic. judic.* & in leg. *Item Labeo*, verſ. 1. ff. *Famil. erciſc.* & in leg. 10. tit. 15. Part. 6.
(*q*) Ut probatur in §. *Eadem*, Inſtit. de *Offic. judic.* & notat Gregor. Lup. in dict. leg. 10. verb. *O los dos.*
(*r*) Ut in leg. 2. in princ. ff. *Famil. erciſc.*
(*ſ*) Juxta text. in leg. 1. ff. *Famil. erciſc.*

tis, nam tunc illa poſſeſſio ſufficiet, etſi adverſarius neget, eum cohæredem eſſe: tertio, proponens debet petere *diviſionem prædictæ hæreditatis cum fructibus, & damnis*, in qua veniunt, ut ſupra diximus: & tunc libellus erit concipiendus forma ſequenti.

LIBELLUS IN ACTIONE *familiæ erciſcundæ.*

Iluſtre Señor.

19. „ Fulano, parezco ante Vmd. y pongo „ demànda à Fulano, y digo: que es anſi, que „ Fulano en ſu teſtamento, y poſtrimera vo„ luntad, con que muriò, y paſſò de eſta pre„ ſente vida, inſtituyò por ſus univerſales he„ rederos à mì, y al dicho adverſo, y como „ tales quiſimos, y aceptamos la dicha heren„ cia, y nos metimos, y apoderamos en ella, „ tomando la poſſeſſion de los bienes raìces, „ muebles, y ſemovientes, deudas, derechos, „ y acciones, oro, y plata, y moneda: lo qual „ todo ha eſtado, y eſtà *pro indiviſo* entre mì, „ y el dicho adverſo; y porque ninguno es „ obligado à tener en comunion ſu hacien„ da con otro, antes de lo ſuſodicho ſuelen „ reſultar rencillas, y enojos, y por evitallos „ yo he requerido al dicho adverſo, que par„ tamos la dicha hacienda por iguales par„ tes, lo qual no ha querido, ni quiere hacer „ ſin pleyto: por que pido à Vmd. que habi„ da mi relacion por verdadera, en quanto baſ„ te, declàre por ſu ſentencia, que ſomos he„ rederos univerſales del dicho defuncto por „ iguales partes: y aſsi declarados, condene „ al dicho adverſo, à que de ſu parte nombre „ un contador, y partidor, que yo de la mia „ deſde luego nombro à Fulano, para que el „ por mì nombrado, ſe junte con el que nom„ bràre el dicho adverſo, y ambos à dos jun„ tos hagan la partija de los dichos bienes, y „ herencia, partiendolos, y dividiendolos en„ tre noſotros por iguales partes, dando, y „ adjudicando à cado uno, lo que le cabe de la „ dicha hacienda, y de los fructos, y rentas „ de ella: ſobre que pido cumplimiento de „ juſticia, y coſtas en caſo de contradicion, y „ el oficio de Vmd. imploro, &c.

EX §. SEPTIMO.

SUMMARIA.

1 *Communi dividundo judicium, ad dividendam rem titulo particulari communem, redditur.*

2 *Nemo in commune ſtare compellendus eſt, cum communio diſcordias pariat.*

3 *Actio communio dividundo mixta eſt.*

4 *Communi dividundo actio quemcumque poſſeſſorem ſingularem ſequitur.*

5 *Ex quaſi-contractu naſcitur communi dividundo actio.*

6 *Bonæ fidei eſt actio communi dividundo.*

7 *Communi dividundo directa actio ei, qui directum habet dominium, competit.*

8 *Quaſi dominium in re communi habenti utilis communi dividundo actio accommodatur.*

9 *Eodem modo in communi dividundo judicio procedere Judex debet, ſicut in familiæ erciſcundæ actione.*

10 *Sicut familiæ erciſcundæ actio pro titulo univerſali communi datur, ita & communi dividundo judicium pro titulo particulari communibus accommodari ſolet.*

11 *Libellus in actione communi dividundo.*

§. SEPTIMUS.

DE ACTIONE, COMMUNI dividundo.

1. Actio *communi dividundo* competit, ad dividendam rem communem inter aliquos titulo particulari: 2. quia nemo invitus cogitur eſſe in communione cum alio: (*a*) 3. & iſta actio eſt mixta, (*b*) 4. nam exemplo actionis realis ratione dominii intenditur, & ſequitur quemlibet poſſeſſorem titulo ſingulari, (*c*) & cum actione perſonali participat: 5. quia habet perſonales præſtationes, & ex quaſi-contractu naſcitur, (*d*) 6. eſtque bonæ fidei. (*e*)

7. Et eſt duplex, *directa*, & *utilis*: directa enim competit ei, qui habet directum dominium rei communis; (*f*) 8. utilis vero competit habenti quaſi dominium in re communi: (*g*) 9. & in hac actione ſunt obſervanda omnia, quæ obſervari debent in actione *familiæ erciſcundæ*; (*h*) diſſentit tamen in pluribus ab ac-

(*a*) Ut probatur in leg. fin. Cod. *Comm. divid.*
(*b*) Ut probat text. in §. *Quædam*, Inſtit. de *Action.*
(*c*) Ut probatur in leg. *Per hoc judicium*, ff. *Comm. divid.* & in leg. 1. Cod. eod. tit.
(*d*) Ut in §. *Item, ſi inter*, Inſtit. de *Oblig. quæ ex quaſi contrac.*
(*e*) Ut probat text. in §. *Actionum*, Inſtit. de *Action.*
(*f*) Ut in leg. *Si quis putans* in princ. ff. *Comm. divid.*
(*g*) Ut probatur in leg. *Communi dividundo* cum ſuis §§. ff. *Comm. divid.*
(*h*) Ut probatur in §. *Eadem*, Inſtit. de *Offic. judic.* & in dict. leg. *Si quis putans.*

actione familiæ erciſcundæ: (*i*) 10. & præcipua differentia eſt, quod illa datur, pro dividenda re communi pluribus pertinenti titulo univerſali; hæc vero datur, pro dividenda re communi pluribus pertinenti titulo particulari, ut puta, ſi una res legata ſit, vel donata duobus: (*j*) & libellus in hac actione erit formandus modo ſequenti.

LIBELLUS IN ACTIONE COMMUNI *dividundo*.

Iluſtre Señor.

11. „ Fulano, ante Vmd. parezco, y pongo demanda à Fulano, y digo: que es aſsi, que à mi, y al dicho adverſo juntamente nos fuè fecha donacion de una caſa à tal parte por Fulano, la qual tenemos pro indiviſo; y porque ninguno es obligado à eſtàr en comunidad con otro, por las rencillas è inconvenientes, que de ello ſuelen reſultar, he requerido muchas veces al dicho Fulano, que partamos, y dividamos la dicha caſa, el qual no lo ha querido, ni quiere hacer: por que pido à Vmd. que habida mi relacion por verdadera, en quanto baſte, y declarando la dicha caſa ſer comun entre mi, y el dicho adverſo, condene al ſobredicho à que de ſu parte nombre un Oficial perito en el arte de carpinteria, que yo eſtoy preſto, y aparejado de nombrar otro, y aſsi nombrados, Vmd. mande à los dichos Oficiales, que dentro de un breve termino partan, y dividan por iguales partes la dicha caſa, adjudicando à cada uno de noſotros lo que le convenga, ſobre que pido juſticia, y en lo neceſſario, &c.

EX §. OCTAVO.

SUMMARIA.

1 *Finium regundorum actio iis competit, qui prædia ruſtica habent: daturque ad novos terminos conſtituendos, aut antiquos reparandos.*

2 *Mixta eſt finium regundorum actio.*

3 *Fines magis fundo, quam perſonæ adjudicantur.*

4 *Actio finium regundorum oritur ex quaſi-contractu, vel ex quaſi-delicto.*

5 *Finium regundorum actio duplex eſt, alia directa, alia utilis.*

6 *Actio finium regundorum non poteſt competere, pro conſtituendis finibus in prædiis urbanis.*

7 *Actio finium regundorum datur etiam in rebus incorporalibus.*

8 *Ad Judicis officium ſpectat agros perſonaliter inſpicere.*

9 *Propter incommodam terminorum diviſionem, Judex poteſt majorem fundi partem alicui aſsignare, dummodo alteri æſtimatio præſtetur.*

10 *Quatuor ſunt à jure adinventa remedia, pro finibus conſtituendis.*

11 *Si poſt litem conteſtatam aliquis terminum alicujus propria auctoritate occupavit, tenetur ad ejus reſtitutionem cum tantundem de ſuo.*

12 *Qui terminum conſtitutum moverit, pœna 50. aureorum plectendus eſt.*

13 *Ut actio finium regundorum competat, neceſſarium eſſe, actorem probare prædium in illo termino habere, ſi ab adverſario negetur.*

14 *Actor probare debet menſuram prædiorum.*

15 *Agrimenſor ad terminos conſtituendos conſtitutus, jurare debet, non ſecundum veritatem, ſed ſecundum credulitatem ſuam.*

16 *Judex debet ſecundum agrimenſoris ſententiam judicare.*

17 *Declaratio actionis finium regundorum ſermone Hiſpano compoſita.*

§. OCTAVUS.

DE ACTIONE FINIUM *regundorum*.

1. Actio *finium regundorum* competit illis, qui habent prædia ruſtica confinia: & datur contra vicinium poſſeſſorem, ad conſtitutionem novorum terminorum, vel reparationem antiquorum, & ad præſtandum intereſſe: 2. & eſt *mixta*, *realis*, *& perſonalis*: realis enim, quia reſtituit domino, quod ſuum eſt, & ſequitur fundum: 3. & magis fundo, quam perſonæ fines adjudicantur: (*a*) 4. perſonalis verò eſt, quia ex quaſi-contractu, vel ex quaſi-delicto vicinorum oritur, cum nitantur producere fines ultrò citroque latius, quam par ſit. (*b*)

5. Et iſta actio eſt duplex, *directa*, & *utilis*,

(*i*) Ut notant Jaſ. n. 52. & Miſing. n. 36. in dict. §. *Quædam*.

(*j*) Juxta text. in leg. 2. Cod. *Comm. divid.*

(*a*) Ut in leg. *Sed & loci*, §. *Si aliter*, ff. *Finium regund.*

(*b*) Ut probatur in leg. 1. ff. *Finium reg.* & notat Benicaſius in §. *Quædam*, Inſtit. de *Action.* n. 527.

lis, (*c*) & eſt ſtricti juris, ut firmat Gloſſa: (*d*) 6. & ſolummodo datur pro conſtituendis finibus in prædiis ruſticis; non verò in urbanis, (*e*) niſi ædificium eſſet loco termini: nam tunc idem judicatur de ædificio, quod de termino: (*f*) datur etiam in rebus incorporalibus, ut puta, pro ponendis finibus, juriſdictionibus, & territoriis. (*g*)

8. Et eſt advertendum, quod ſi prædia non fuerint diſtincta ſuis terminis, Judex perſonaliter accedere debet ad ea, & per Agrimenſorem ſumptibus partium ea dividere, & terminos ponere, juxta declarationem Agrimenſoris: (*h*) non tamen eſt neceſſum præſentialiter Judicem accedere ad illa loca, licet utile eſſet; ſed ſufficit mittere Agrimenſores, citatis partibus. (*i*) 9. Quando autem eſſet obſcuritas, & commode terminari non poſſet ſecundum terminos antiquos, licitum erit Judici ex prædio unius aliquid prædio alterius adjudicare, condemnando eum in certa quantitate pecuniæ danda, cui pars prædii ablata fuit. (*j*)

10. Advertendum etiam eſt, pro finibus conſtituendis quatuor remedia in jure prodita eſſe: 11. primum eſt condictio ex leg. *Si conſtiterit*, Cod. *Finium regund.* videlicet, quando poſt litem conteſtatam aliquis occupavit aliquid de termino alieno, tunc ad reſtitutionem ejus cum tantundem de ſuo tenetur: 12. ſecundum eſt actio Leg. *Agrariæ* pœnalis quinquaginta aureorum in eum, qui terminum ejecerit, vel moverit: (*k*) tertium eſt, accuſatio criminalis Adriani Imperatoris. (*l*)

Quartum eſt hæc noſtra actio *finium regundorum*, quæ ad hoc, ut competat alicui requiruntur ſequentia: 13. primò, quod ſi reus neget, actorem habere prædium in illo termino, actor ante omnia oſtendat, ſe prædium habere: 14. ſecundò requiritur, quod actor probet menſuram prædiorum: & ſupradictis probatis, Judex mittere debet Agrimenſorem, qui tenetur facere juramentum *de bene ſe gerendo in illa agrimenſura*, (*m*) 15. quod juramentum debet eſſe *de credulitate*; non vero *de aſſertione veritatis*. (*n*) 16. Et facta relatione per Agrimenſorem, Judex tunc profert ſententiam, qua præcipit, *menſuram*, *& declarationem Agrimenſoris ſervari*: quæ praxis probatur, & procedit ex leg. 3. Cod. *fin. regund.* ſed *hodie* in aliquibus Tribunalibus alia praxis obſervatur: & ut melius percipi poſsit, eam ſermone Hiſpano præſcribam, quæ talis eſt.

17. *Queriendo alguno apear ſus heredades, que tiene en algun lugar, para ſaber las yugadas que tiene, y por adonde vàn ſus lindes, y mojones, y las tierras que ſon ſuyas, hace un pedimento à la Juſticia en la forma ſiguiente por via de Auto.*

„ En Salamanca, à tantos dias de tal mes, y de tal año, ante el Señor Licenciado Fulano, Teniente de Corregidor en la dicha Ciudad, y en preſencia y por ante mi el preſente Eſcribano, y teſtigos infraeſcriptos, pareciò preſente Fulano, vecino de la dicha Ciudad, y dixo: que por quanto tiene tantas yugadas de heredad, y muchos prados de yerva en tal Lugar de eſta juriſdiccion, que le conviene apear las dichas heredades, y prados, para ſaber lo que hacen, y por donde vàn ſus lindes, y mojones, atento que entiende, que los vecinos, y herederos del dicho Lugar le tienen ocupada mucha parte, de lo que le conviene: que pedia, y pidiò à ſu Merced mandaſſe hacer el dicho apèo, y nombraſſe perſonas antiguas, que ſepan los limites, y mojones, y conozcan las dichas heredades, y para que ſe hallen à hacer el dicho apèo, y para ello pidio juſticia, &c.

Preſentada eſta peticion, el Juez reſponde, que nombre los ſeñores, que tienen heredades en el dicho Lugar, que confinen con las que quiere apear, ò en las comarcas del dicho Lugar, que el eſtà preſto de hacer juſticia: *y luego el que quiere hacer el dicho apèo preſenta un Memorial ante el Juez, donde nombra los ſeño-*

(*c*) Ut notant Miſing. in dict. §. *Quædam*, n. 42. & Benicaſius in §. *Actionum*, n. 536. Inſtit. de *Action.*

(*d*) In dict. §. *Actionum*, verb. *Communi dividendo*, & ibi Jaſ. & Benicaſ. n. 534.

(*e*) Juxta text. in leg. 4. §. fin. verſ. *Hoc judicium*, ff. *Fin. regun.*

(*f*) Ut in leg. 2. ff. *Fin. regun.* & explicat Benicaſ. in dict. §. *Actionum*, n. 537.

(*g*) Ut probatur in cap. *Super eo*, de *Parochiis*, & notat Miſinger. in dict. §. *Quædam*, n. 45.

(*h*) Ut probatur in leg. *Si irruptione*, ff. *Fin. regun.* & in cap. *Quia indicante*, & ibi optime Panorm. de *Præſcript.* & in text. juncta gloſ. ibi, verb. *Adhibitos* in leg. *Si duobus*, ff. *Si menſ. falſ. modum dixer.* & ibi Bartol. & Bald. & in leg. 13. tit. 14. Part. 3. & leg. 10. tit. 15. Part. 6.

(*i*) Juxta text. in leg. 3. Cod. *Fin. regun.* juncta leg. 1. in fin. cum ſeq. ff. *Si menſ. falſ. mod.* & ibi notant communiter omnes ex Panorm. in dict. cap. *Quia indicante*, num. 7.

(*j*) Juxta text. in leg. 2. §. fin. cum leg. ſeq. ff. *Fin. reg.* & in §. *Si finium*, Inſtit. de *Offic. judic.* & in leg. 10. tit. 15. Part. 6.

(*k*) Ut in leg. 1. ff. de *Termin. moto.*

(*l*) De qua in leg. 1. & 2. ff. de *Term. moto.*

(*m*) Secundum Bald. & Salic. in leg. *Hac edictali*, §. *His illud*, Cod. de *Secund. nupt.*

(*n*) Secundum communem ex Felin. in cap. *Propoſuiſti*, de *Probat.*

ñores, y herederos, que tienen heredades en el dicho Lugar, ò en ſus comarcas, que confinen con las ſuyas: y entonces el Juez manda, que ſe notifique à los dichos ſeñores, que para tal dia Fulano quiere apear las heredades, y prados, que tiene en tal Lugar, que parezcan, y ſe hallen preſentes, à vèr hacer el dicho apèo; donde no, que en ſu auſencia ſe harà, y les pararà tanto perjuicio, como ſi eſtuvieran preſentes: *y manda aſsimiſmo*, que de eſto ſe ponga en los lugares públicos acoſtumbrados una Carta de edicto general: *por la qual el Juez manda hacer ſaber à todas las perſonas, que pretenden algun intereſſe*, como Fulano quiere apear tales heredades, y prados, que para tal dia ſe hallen preſentes, à vèr hacer el dicho apèo, *ſeñalando el dia en que ſe ha de hacer: y hecho eſto, para el termino del edicto y citacion, el que pide el apéo, parece ante el Juez*, y acuſa la rebeldìa à los citados, de que no han parecido à contradecir el dicho apéo, que pide à ſu Merced lo mande hacer: *y entonces el Juez manda*, que ſe dè mandamiento, para que el Concejo nombre dos perſonas antiguas, que ſepan de las heredades, y hagan el dicho apèo, y que nombradas, vengan primero ante el dicho Juez à jurar, ò la meſma parte ſe las nombra: *y el Juez las hà por nombradas, y recibe de ellas juramento*, de que haràn bien ſu oficio, ſegun, y como entendieren, y creyeren conforme à ſus conſciencias, adjudicando à la dicha heredad, lo que le pertenece, y no quitando de uno para dàr à otro: *y hecho el dicho juramento, los nombrados comienzan à hacer el apéo: y declaran*, como tal tierra es de tal heredad, y quànto hace en ſembradura, y por dónde vàn los mojones, y lindes, *y los ſeñalan, haciendo mojones de nuevo: y aſsi proſiguen haſta acabar el dicho apéo: y ſi hay alguna contradicion en ello, porque otro dice*, que es la tierra ſuya, y que la linde và por otra parte, *ſe ha de averiguar primero aquella duda en juicio plenario: y ſi no huviere alguna contradicion, el apéo ſe acaba, y es titulo ſuficiente para el dueño de la heredad, atento que las partes fueron citadas.*

Circa ſuperiorem praxim eſt advertendum, quod citatio, quæ fit partibus, procedit ex leg. 3. Cod. *Fin. regund.* (o) & edictum citationis procedit ex iis, quæ notat Gloſſa, (p) cum in præſenti citentur vicini illius loci, & etiam incerti contradictores, quorum intereſt; quo caſu eſt locus citationi per edictum. (q) Deinde juramentum Agrimenſorum procedit ex iis, quæ notat Felinus: (r) & qua actione teneantur Agrimenſores, ſi dolo, vel lata culpa intulerint gravamen partibus, tradit Gloſſa. (ſ) Et prædicta agrimenſuratio fieri debet expenſis communibus, etiam ſi una pars contradicat eidem, ſecundum Salicetum. (t)

EX CAPITE SECUNDO.

SUMMARIA.

1 *PRætoria dicitur actio, eo quod à Prætore fuerit adinventa.*

2 *Prætores non ſolum actiones, ſed etiam jura reddere poterant.*

3 *Jus, & actiones à Prætore introductæ honorariæ alio nomine vocantur.*

4 *Honorabilem magiſtratum gerebat, & adminiſtrabat Prætor.*

5 *Prætoris officium in reddendis actionibus per quam utile erat.*

6 *Æquitatem ſemper præoculis habent Prætores.*

7 *Prætoriarum actionum quædam reales, quædam perſonales dicuntur.*

8 *Prætoriæ actiones aliæ ſunt rei perſequutoriæ, aliæ pœnæ tantum.*

CAPUT SECUNDUM.

DE NONNULLIS ACTIONIBUS Prætoriis.

EXemplo Juſtiniani hactenus egimus de quibuſdam actionibus à Jure Civili inductis pro illa ſecunda diviſione, quam fecit in §. *Sed iſtæ*, Inſtit. de *Action.* 1. unde continuando prædictam diviſionem, opportunè agendum erit in præſenti de actionibus prætoriis, quæ ideò *prætoriæ* appellantur, quia à Prætore comparatæ fuerunt: 2. tanta enim fuit Prætoris auctoritas, quod jura, & actiones dare poſſet, (a) 3. quod Jus *Honorarium* appellabatur, & actiones *honorariæ*: 4. quia Prætores gerebant magiſtratum honorabilem. (b) Fuit-

(o) Et ex traditis per Panorm. in cap. *Quia indicante*, n. 6. de *Præſcript.*

(p) In Extravag. *Ad reprimendum, quomodo in læſæ maj. crim.* verb. *Per edictum.*

(q) Ut in leg. *Si eo tempore*, Cod. de *Remiſ. pig.* & tradit Felin. in cap. *Quoniam frequenter*, §. *Porrò, ut lite non conteſt.*

(r) In cap. *Quia indicante*, de *Præſcript.* n. 1. & Dec. in cap. *Propoſuiſti*, n. 15. de *Probat.*

(ſ) 1, in dict. cap. *Quia indicante*, & ibi Panorm. n. 2. & 4. & Felin. n. 2.

(t) In leg. 3. Cod. *Fin. regun.* & Felin. in dict. cap. *Quia indicante*, n. 1.

(a) Ut probatur in leg. 2. §. *Eo tempore*, ff. de *Orig. jur.* & in §. *Prætorum*, Inſtit. de *Jur. natur.*

(b) Ut probatur in dict. §. *Prætorum*, & in leg. *In honorariis*,

5. Fuitque valde neceſſarium, Prætores jus, & actiones dare, quia cum Prætor prævideret aliquod negotium emergens, pro quo actio data non erat à Juriſconſultis, æquitate ſuadente diſponebat, & actionem præſtabat: 6. ſemper enim Prætor præ oculis æquitatem habebat. (c) Et qualiter differant prætoriæ à civilibus, diximus ſupra, (d) 7. Et harum actionum prætoriarum quaſdam eſſe *reales*, & quaſdam *perſonales*, dixit Juſtinianus; (e) 8. & quaſdam eſſe perſonales *rei perſecutorias tantum*, quaſdam verò eſſe perſonales *perſequutorias pœnæ tantum*: (f) de quibus omnibus ordinatim, & reſolutivè pro juvenum inſtructione à nobis erit dicendum in ſequentibus reſolutionibus, inchoando ab actionibus prætoriis realibus.

EX §. PRIMO.

SUMMARIA.

1 *PUbliciana ſic fuit denominata, eo quod à Publicio fuerit inducta.*

2 *Actio Publiciana ei competit, qui nondum eſt dominus effectus.*

3 *Habilis titulus, & juſtus ad dominii translationem requiritur, ut actio Publiciana competere poſsit.*

4 *Si à pupillo vel furioſo quis rem habeat, Publicianam intendere non poterit.*

5 *Qui emit à minore bona fide, exiſtimans majorem eſſe, uti poteſt Publiciana.*

6 *Qui emit à furioſo, quem ſanæ mentis eſſe exiſtimat, Publicianam habet.*

7 *Intelligitur verè text. in leg. 2.* §. Si à Pupillo, *ff.* Pro empt. *& intellectus aliorum rejiciuntur.*

8 *Qui à furioſo, quem ſanæ mentis credidit eſſe, rem emit, attenta rei veritate, Publicianam non intendit.*

9 *Emens à furioſo, credens eum inumbratæ quietis, exiſtimatione & opinione conſiderata, Publicianam habere poteſt.*

10 *Rem ex titulo pignoris, precarii, aut commodati detinentes non poſſunt Publicianam exercere.*

11 *Officium Judicis competit detentatoribus ad rerum reſtitutionem.*

12 *Non dominus debet eſſe is, qui Publicianam intendit.*

13 *Per traditionem à vero domino factam, jure gentium dominium acquirimus.*

14 *Quod noſtrum eſt, non poteſt amplius per uſucapionem noſtrum effici.*

15 *Ibi ceſſat Publiciana, ubi uſucapio locum habere non poteſt.*

16 *Utilis dominus non Publiciana, ſed rei vendicatione agit.*

17 *Publicianam intendens probare debet titulum, & traditionem rei.*

18 *Solo juramento proprio probantur, quæ in conſcientia conſiſtunt.*

19 *Ex juſto titulo reſultat bona fides.*

20 *Traditionis tempore bonam fidem habere debet actor, ut Publicianam in judicio deducat.*

21 *Duobus temporibus requiritur in emptionis contractu bona fides ab emptore.*

22 *Actor in libello Publicianæ petere debet, quod rem ad ſe pertinere jure dominii, vel quaſi declaretur.*

23 *Dicere debet in libello Publicianæ actor, adverſarium, aut poſsidere, aut dolo poſsidere deſiiſſe.*

24 *Publiciana non poteſt contra titulo poſsidentem competere.*

25 *Libellus in actione Publiciana Hiſpana lingua confectus.*

§. PRIMUS.

DE ACTIONE PUBLICIANA, REALI, prætoria.

1. PUbliciana actio ſic appellatur, quia à Publicio Prætore primo fuit in albo propoſita: 2. competitque habenti à non domino ex juſto titulo rem nondum uſucaptam, ſi ejus poſſeſsionem aliquo modo amiſit. (a)

3. Et ad hoc ut alicui competat hæc actio, requiruntur ſequentia: primò, quod actor habuerit rem illam ex titulo juſto, & habili ad transferendum dominium, ſive lucrativo, ſive oneroſo. (b) 4. Quo fit, quod qui rem habuit à furioſo, vel à pupillo, ſine auctorita-

riis, ff. de *Action. & oblig.* reſolvunt Fortunius Garcia, in leg. *Juris gentium*, §. *Prætor ait*, n. 3. & 4. ff. de *Pactis*, & Oroſc. in leg. 1. de *Offic. Prætor.* n. 13.

(c) Ut probatur in leg. *Quod ſi Epheſi*, §. fin. ff. de *Eo, quod certo loco*, & explicant Gomec. n. 22. & Jaſ. n. 26. in dict. §. *Sed iſtæ.*

(d) In cap. 1. in princ. circa finem.

(e) In dict. §. *Sed iſtæ.*

(f) Dixit in §. *In perſonam*, juncto, §. *Pœnales*, Inſtit. de *Act.*

(a) Ut probat text. in §. *Namque ſicut*, Inſtit. de *Action.* & in leg. 1. ff. de *Publ.* & tradit gloſ. in cap. *Abbate ſanè*, verb. *Dominii*, de *Re judic.* lib. 6. de qua actione ultra DD. in prædictis locis tractant Innocent. & Panorm. n. 8. & alii in cap. 2. de *Conſuetud.*

(b) Ut probatur in dict. §. *Namque ſi cui*, ibi: *Ex juſta cauſa*, & in leg. *Eum qui*, §. 1. & in leg. *Quæcumque*, ff. de *Public.*